COMPENDIARIA

Et perfacilis

PHYSIOLOGIÆ IDEA,

ARISTOTELICÆ

Forte conformior, Physicæ practicæ ac Chymicis experimentis accommodatior & aptior, quam quæ vulgo in Scholis obtinuit, & in amplis *Jesuitarum* monumentis conspicitur.

Una cum

Anatome Cartesianismi,

In qua *Cartesii* Speculationes Metaphysicæ examini Subjiciuntur.

Authore.

Alexandro Pitcarnio Scoto

Philosophiæ quondam Professore, nunc Dronensis Ecclesiæ Strathorniæ Pastore.

LONDINI,

Excusa impensis *Thom. Parkhurst*, ad Insigne Bibliorum & trium Coronarum juxta *Sacellum Mercatorum* in vico vulgo vocato *Cheapside*, MDCLXXVI.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

NOBILISSIMO

Et Conſultiſſimo viro

D. ROBERTO BOYL.

Illuſtrium & Magnificentiſſimorum Comitum de *Burlington* & de *ORERY* fratri Germano,

Fulgentiſſimo *Experimentalis Philoſophiæ* Phoſphoro, Philoſophorum Principi, & Muſarum Patrono,

Clariſſime Domine,

PErſpicaciſſimum & incomparabile tuum ingenium, ſummæ veritatis indagandæ cura & incredibiles in literis profectus, Heroicæ virtutes cum dignitate natalium & imprimis *pi-*

etatis ſtudium & animus cœleſtis ut publicam meretur, a plurimis impetravit commendationem, celebrationem, admirationem. Tuæ ædes Sapientum & Doctorum Collegium, Bibliotheca tua ingenti ære inſtructa omnibus patet, nobis & poſterorum uſibus proſtat, niſi quòd tua ſingulari potius induſtriæ & miro ingenij acumini quam libris tot inſignia ſolidæ pietatis & Doctrinæ monumenta accepta referenda ſint.

O decus atq; ævi gloria magna tui !
Sed cum

Hactenus æternum teneas per ſecula nomen,

Quis niſi Oreſte *inſanior a me, balbutiente juvene gratiſſimum tu-*

arum

arum virtutum catalogum expectabit?

Si vox infragilis pectus mihi firmius esset,
Pluraq; cum linguis pluribus ora forent,
——non consequar omnia dictis.

Fateor, ingenue fateor, quam omnium undecunq; ineptissimus essem, si Virum extra invidiæ aleam doctum, ad ultimos terrarum terminos conspicuum, & monumentis ære quovis perennioribus celebratum præconio aliquo (licet omni dignissimum) interituro adornarem; non itaq; hoc agam, sed cum in orbe lucidissimo seu literario mices,

Non diu mihi (licet tuæ celſitudini ignoto) deliberandum de Patrono deligendo, cujus nomen prodromo huic tractatui Philoſophico Chariſſimi Parentis (bona cum ipſius venia) præfigerem; cui enim Phyſiologiæ Ideam & medullam potius dicarem quam tibi Philoſophorum maximo, qui non argutis Sophiſmatis, fictis Hypotheſibus aut inanibus Schematiſmis ſed vivis experimentis abditas rerum cauſas perſcrutaris & cui Atheiſmi & Scepticiſmi antidotum potius conſecrarem quam clariſſimo Boylæo, inter nobiles Religioſo, & inter doctos doctiſſimo? Et demiſſe ac obſequioſiſſime contendo

tendo (ævi prudentia noſtri) *ut clementiſſime patiare opuſculum hoc, quod*

Judicis argutum non formidabit acumen.

Umbone celeberrimi nominis tui obtectum in publicum prodire, ut malevolorum hominum ſpicula facilius declinare vel contemnere queat, & æqui boniq; conſulere non dedigneris hanc debitæ obſervantiæ teſſeram a peregrino tuarum virtutum ſplendore rapto poſitam, ut numeretur inter,

Clariſſimi tui nominis cultores Studioſiſſimos & Servos humilimos.

Alex. Pitcairn Fil.

Elenchus rerum
In Idea tractatarum.

De corpore & generali ipsius divisione, *Sect.* 1.

De cælo & numero cælorum, *Sect.* 2.

De motu corporis cælestis, & an ipsum cælum an tantum sidera in eo moveantur, *Sect.* 3.

An motus iste sit a principio extrinseco, an intrinseco, *Sect.* 4.

De elementis & an sint corpora simplicia, *Sect.* 5.

De numero elementorum ubi excluditur *ignis*, *Sect.* 6.

De incorruptibilitate & ingenerabilitate elementorum & de ipsorum transmutatione inquiritur, *Sect.* 7.

De qualitatibus elementorum et an gradus admittant, *Sect.* 8.

Quomodo elementa maneant in misto, *Sect.* 9.

De temperie elementorum et amicâ ipsorum conspiratione post conflictum, *Sect.* 10.

De formâ et an sit ab unione miscibilium distincta, *Sect.* 11.

De misto, et an sit unum per se, *Sect.* 12.

De

De resolutione mixti, an sit in elementa, an tantum (non obstantibus corpusculorum insensibilium effluviis) in mixta, *Sect.* 13.
De varietate in mixtis elucente et unde provenit, *Sect.* 14.
De miranda rerum naturalium virtute, sui conservationi augmentationi &c. studentium, *Sect.* 15.
De principio vegetativo, an proprie an tantum Analogice dicitur *vita*, *Sect.* 16.
De variis nominibus principio huic vegetativo impositis, *Sect.* 17.
An principium vegetativum sit entitas simplex, an composita, an cum mixto identificetur an ei superaddatur, an rem essentialiter constituat, an tantum accidentaliter perficiat, *Sect.* 18.
De modo quo mixta inanimata differunt, *Sect.* 19.
De generatione et corruptione mixtorum, *Sect.* 20.
De continuo, *Sect.* 21.
De æternitate, infinitate, et immensitate, *Sect.* 22.
De vacuo, *Sect.* 23.
De Loco, *Sect.* 24.
De tempore, *Sect.* 25.
De ubicatione et duratione, *Sect.* 26.
De motu, *Sect.* 27.

De

De tarditate & velocitate motûs, *Sect.* 28.
De rarefactione & condenſatione, *Sect.* 29.
De animis brutorum an generentur vel creentur, *Sect.* 30.
De corpore, *Sect.* 31.
De anima humana & quomodo diſtinguitur ab Angelo, *Sect.* 32.
De voluntate et an ſit cognoſcitiva, *Sect.* 33.
De ſede animæ et de trinis ipſius potentiis umbram quandam *S. S. Trinitatis* exhibentibus, *Sect.* 34.
Ideam hanc non eſſe multum diſſimilem ab Ariſtoteleo ſyſtemate Phyſico. 9. aſſertionibus oſtenditur, *Sect.* 35.
De Carteſiana Philoſophia, *Sect.* 36.
De atomis, *Sect.* 37.

Elenchus

Elenchus ſectionum & Articulorum, quæ in Anatome Carteſianiſmi continentur.

SECT. 1. *Carteſii Achilles cum dedecore exauctoratus, ducem conficit & armis exuit*, pag. 1.

Art. 1. *Achilles ad partes vocatur, & ut perfidus & ignavus miles expungitur*, ibid.

Art. 2. *Miles expunctus in ducem involat, quem proſtratum & multis vulneribus confoſſum armis nudat*, pag. 25.

Art. 3. *Agitatione Phylacterii militis triumphantis, exanimatur dux proſtratus*, pag. 33.

SECT. 2. *Luſtratur exercitus, expunguntur reliqui* Carteſii *milites & in ipſius* Equum Trojanum *inquiritur, in quo nullos milites includi vel occultari poſſe quemq; eſſe futilem machinam nullo artificio ſed inſolenti & fatua arrogantia in opprobrium autoris fabricatam oſtenditur*, pag. 53.

Art. 1. *Proſcribuntur milites ignavi*, ibid.

Art. 2. *Exſibilatur futilis Carteſii machina, explauditur famoſum* ἓυρημα ego cogito, *quod non eſſe principium, nec primum, nec Metaphyſicum, nec*

nec primo cognitum, *& consequens hinc illatum non ex hoc sed ex alio antecedente, & non necessario nec rite sequi, & ex eo nullum nisi ridiculum consequens inferri posse ostenditur*, pag. 67.

Compendiaria, & perfacilis Physiologiæ Idea.

SECT. 1.

CORpus est ens per se extensum, seu constans mole impenetrabili & in partes integrales divisibili: *estq;* vel simplex, vel compositum seu mistum. *Simplex* vel est constitutivum misti ut elementare, vel per se subsistens, non solùm oppositè ad *subjectum*, cui accidat et inhæreat, (nam sic *Miscibilia* per se subsistunt) sed etiam ad *compositum* quod constituat, estq; *Cæleste*,

SECT. 2.

Corpus *Cæleste* vel est *stella*, vel stellarum *Campus* in quo spatiantur, vel Cælum *Empyreum* quod Deutero. 10. *v.* 14. et 1 Reg. 8. *v.* 27. dicitur *Cælum cælorum*, cujus consideratio ad Theologos

potius quam Philoſophos ſpectat: videſis *Lamb. Daneum phyſ. Chriſt. part 2. tract. 4. cap. 12.* imprimis *Cun Aſtrop. de nat. cæl. lib. 3.* cælum aut *æreum* cum ſit elementare et ad miſtionem ordinetur, non ſpectat ad *primam* hanc, ſed ad *ſecundam* et ſequentem ſpeciem corporis ſimplicis, licet in *Paulino* cælorum catalogo, *2 Cor. 12. v. 2.* Locum habeat, et *primum* cælum (ſumptâ voce cæli pro expanſo ſupra nos) conſtituat. Cælum itaq; *ſtellatum* eſſe *unum & continuum*, et non diſſectum circulis et orbibus ab Aſtronomis confictis, *ex textu citato* colligitur, *qui plures cælos* (inquit *Theodor. q. 12, in Gen.*) *numerare conatur, adhæret fabulis poſtpoſita Divini Spiritus Doctrina*; ſed poſito *quod* ſunt plures cæli, quæritur *quot* ſint? vide varias Philoſophorum et Aſtronomorum ſententias, apud *Conimb. cæl. 2. cap. 5. q. 1. Ariſtotelem* nihil definiviſſe ex Met. *lib. 12. text. 45. ſeq.* manifeſte apparet, et ſi pro *ſeptem* vulgatis planetis, *ſeptem* ponendi ſint orbes, cur non etiam *ſex* alii, pro *ſex* aliis planetis à *Galilæo* obſervatis, quos (teſte *Hurtado*) in honorem ducis *Etruviæ Aſtra Medica* appellavit et à *junioribus* plures motus in cælis obſervatos prioribus ſeculis incognitos, teſtantur *Conimbricenſes*, ergo ſi pro *numero* motuum aſtrorum multiplicandi ſint cæli, quis audet ſtatuere quot ſunt cæli? hinc.

SECT.

SECT. 3.

Ipsum *cælum* non movetur, sed *sidera* in eo, Sacræ enim literæ nusquam cælo, sed passim stellis motum ascribunt, ut *Psal.* 19. *v.* 5. 6. *Psal.* 104. *v.* 19. *Eccles.* 1. *v.* 5. *Hab.* 3. *v.* 11. *&c.* Non tamen dico cum *Philastrio* in *Catal. Heres.* contrariam et communem sententiam astronomorum, esse alienam à fide Catholicâ, non enim jam contra eos qui statuunt ipsum cælum moveri, contendimus, argumento à testimonio positivo, uti alibi contra *Copernicanos* dictitantes terram moveri, stellas fixas, et solem quiescere, *&c. Hurtad. cæl. disp.* 2. *sect.* 1. ponit in cælo, quosdam sulculos et canales, in quibus stellæ deferuntur: putat enim ille cælos esse firmos et solidissimos, adeoq; rarefactionis et condensationis incapaces: negat tamen vacuum admittendum in istis canalibus, per quos stellæ transeunt, licet nullum corpus in locum stellæ decedentis succedat. *Quia* (inquit) *vacuum est locus vacans corpore aptus illo repleri, sed isti sulculi non sunt ex natur rei apti repleri, sicut neq; Anguli Cæli Empyrei* (creditur autem hoc cælum versus partem superiorem esse quadratum Conimbr. cæl. lib. 2. cap. 5. q. 1. art. 2.) *tantum enim petunt unum corpus, quo repleatur aliqua sulculorum pars, & totus sulculus repleatur successive non tamen totus simul.* Sed dicerem va-

cuum corporibus incorruptibilibus non esse pertimescendum nec corporibus superioribus et cæleſtibus quemadmodum ſublunaribus, hæc enim à vacuo maxime abhorrent, ne influxum ſuperiorum in ipſa impediret: ſed nec minus periculi, ſi ponamus cælos eſſe plures et mobiles, nam ſi ſint ſolidi et ita contigui ut nihil interjici poſſit, quî poterint moveri idq; motu rapidiſſimo, niſi ſeſe conterant vel ſaltem ſonum Pythagorico graviorem edant? ſed qui cælos ex tenui, molli et fluidâ materiâ compactos volunt, aſtra in cælis moveri ſicut aves in aere vel piſces in aqua, ſphæraſq; cedere et locum aſtris tranſeuntibus relinquere, fiſſaſq; partes rurſus inſtar aquæ aut aeris coaleſcere, ſicq; cælum non minus quam aera aut aquam rarefieri et condenſari autumant et *Aſlachus* ubi ſupra cap. 23. contendit hinc probari *cælum ſidereum eſſe immobile, quod ſit tenuiſſimæ & ſubtiliſſimæ ſubſtantiæ* ſed nonnulli apud *Conimbr. cæl. lib. 2. cap. 8. q. 1. art. 1. Volunt cælos eſſe ſolidos, interciſos tamen quibuſdam canalibus tenui fluxuq; materia quibus ſidera illabantur*: ſed ut ut eſt, non orbes ſed aſtra in cælo moveri contendimus, tantum moneo *Danæi* et *Hurtadi* ſubtilitatem videri nimiam, et ſententiam inintelligibilem, uterq; enim docet cælum ſidereum eſſe unum et continuum, hic ſoliditſimum, ille (loc. cit. cap. 12.) tenuiſſimum, et hac illius mollitie et ſubtilitate non obſtante, cap. 16. Docet et ex *Am. 9. v. 6.*

Pro-

Probare conatur, ſtellas diverſis ſpatiis et ſedibus ſitas et planetas fixis eſſe ſuperiores; videtur ergo cum *Hurtado* ſtatuere, eſſe in cælo (licet velit eſſe fluidum) quoſdam canales et ſulculos; ſed hoc mirari ſatis non queo, quî et hic et ille doceat et cælum et aſtra moveri, quî enim tot & tam varii motus in uno mobili reperiri vel cum motu unius cæli componi poſſint, non video. Unde doct. *Voet.* ſel. diſp. theol. diſ. 38. perlecto forte ſolum capite 16. credidit *Danæum* cum *Tychone* ſtatuiſſe non cælum ſed aſtra in cælo moveri cum tamen cap. 19. *veriſſimum eſſe & cælum & quæ in eo ſunt moveri*, & cap. 21. *planetas duplici motu* viz. *ſuo & cæli* cieri docuerit.

SECT. 4.

Apage in ſomnium (quod *Aquinati* opuſ. 10. art. 3. & opuſ. 11. art. 2. omnino certum & Phyſicis rationibus demonſtratum & de potent. quæſt. 6. art. 3. ſententia fidei videtur & eſſe creditur) *de intelligentiis* cælorum motricibus orbibuſq; cæleſtibus affixis, tanquam *Ixione* ſuæ rotæ aut *Siſypho* ſaxo redituro volvendo. Hæc fatuitas communiter aſcribitur *Ariſtoteli*, & citari ſolet *Phyſ.* 8. text 52. & *Metaph.* 12. text. 43. ſeqq. Philoſophus itaq; *Phyſ.* 8. ex profeſſo diſputat de primo motore & *text* 52. tantum obiter objectioni occurrens mentionem facit non intelligentiarum motricium, ſed principiorum

ſeu ἀρχῶν ἐν τῷ ὑρανῷ, quæ non ab aliis ſed ab alio ὑφ' ἑτέρου moveri aſſerit & *Met.* 12. *text* 41. concludit eſſe unam ſubſtantiam æternam, immobilem & immaterialem, & licet *text.* 43. 44. loquatur de ſubſtantiis motricibus cælorum, tamen *text.* 45. expreſſe monet ſe loquutum fuiſſe ex ſententia Mathematicorum, & *text* 48. licet dicat Mathematicorum opinionem eſſe probabilem conjecturam rationi conſentaneam, ſuam tamen ſententiam in medium proferre noluit *quod* (inquit) *neceſſarium* (ſeu verum & tenendum) *eſt omittatur ut potentiores* (ſeu qui exactius diſſerere poſſunt) *dicant & oſtendant*, ſententiam itaq; hanc *Platonico-poeticam* à maſculæ ipſius Philoſophiæ genio remotiſſimam, recte ſtatuit *Voetius*, & quòd cum ipſius placitis & hypotheſibus non conſentiat ſtatim oſtendemus: corpora cæleſtia (aſtra intelligo) non moveri à principio extrinſeco ſed intrinſeco, (quòd formam appellare poſſumus ſed virtualem, corpus enim ſimplex continet in ſe perfectiones materiæ & formæ identificatas) Moveri colligimus ex *Pſa.* 19. *v.* 5. 6. *Pſa.* 104. *v.* 19. *Pſa.* 136. *v* 8. 9. Collat. cum *Gen.* 1. *v.* 16. Quod enim ab extrinſeco movetur, non dicitur oriri, occidere, gyrare, & quis diceret aliquid à creatura primitus exigi ad quod præſtandum facultas & vires non ſunt conceſſæ? id ipſum conſtat ex Ariſtotelicâ definitione naturæ, *principium motus*, &c. et definitione motus violenti

cujus

cujus principium est extra, &c. Ergo si corpora cœlestia sint in statu naturali eorumq; motus naturalis, moventur non à principio extrinseco sed intrinseco: ut taceam Aristotelem docere omni potentiæ naturali passivæ respondere aliquam naturalem activam, motum non naturalem non durare, esse subjecto incongruum et noxium, unicum esse Deum seu substantiam infinitam et immaterialem, et non tot quot corpora cœlestia mobilia, et tamen in isto discursu de *intelligentiis* motricibus cœlorum dicit, cœlum non moveri nisi à substantiâ immateriali infinitâ et immobili, cœlum autem moveri à primo motore seu causâ, non negamus, cum causa secunda non excludat sed necessario exigat concursum causæ primæ, vide quibus rationibus nostram sententiam confirmet, et quomodo objectionibus respondeat *Camerarius* nostras, *select. disp. part. 2. quæst.* 25.

SECT. 5.

Ut cœlum, ita et *Elementa* sunt corpora simplicia, non solum quatenus simplex opponitur misto, sed etiam quatenus opponitur composito, non quovis modo sed Physice & essentialiter, seu composito ex *materia & forma*; habet enim corpus simplicissimum partes entitativas, integrantes, quantitativas seu impenetrabiles, in quas dividi poterit; non solum dari corpora

ſimplicia (ut contra *Hurtadum* aſtruunt *Arriaga* & *Oviedo* ſed cælos de facto eſſe corpora ſimplicia tuentur non pauci haud ignobiles ſcholaſtici, & *Scotus in 2. diſt. 14. q. 1. laudat Averroem* quod mentem *Ariſtotelis* melius aſſequutus ſit quam alii qui dixerunt cælos ex materiâ & formâ componi. Eandem ſententiam nuperrimè defendit *Comptonus, Carletonus*: & *Ariſtoteles* eodem argumento quo probat cælum eſſe corpus ſimplex, etiam probat *Elementa* eſſe corpora ſimplicia, his non minus quam illi motum ſimplicem aſcribens quin imo *Ariſtoteles* non uno in loco cælum appellat *Elementum. cæl. 3. cap. 1.* (ubi illud vocat *primum Elementum Metaph.* 1 cap. 3. & initio lib. de color: hinc antiquioribus Philoſophis & Theologis, mundus Elementaris, dicitur conſtare ex cælo & vulgatis elementis; cælum itaq; non dicitur elementum quaſi ex eo miſtum componatur, ſed quia eſt corpus ſimplex, ingenerabile & incorruptibile ut & Elementa Elementa itaq; (de vulgatis loquimur) dici poſſent Materia omnium miſtorum, non Materia aliqua incompleta, quæ eſſentialiter dependet à formâ ut comparte eſſentiali, ſed materia completa ex qua, perfectè & adæquate componitur miſtum, materia incompleta qualem vulgus propugnat, non poteſt (inquiunt) nudata omni formâ ſubſtantiali naturaliter exiſtere, cum tamen in omni generatione & corruptione, (juxta hypotheſes iſtius ſententiæ) materia exiſtat nudata omni formâ, 1. Quia con-

tendunt in omni corruptione fieri resolutionem usq; ad materiam (sive primam & nudatam etiam formis accidentalibus, sive secundam non moramur) Ergo nulla forma relinquitur in materiâ. 2. In instanti corruptionis materia vel nullam habet formam vel duas incompossibiles, Quæritur itaq; utra ex istis formis, an recedente an accedente tunc informetur, non recedente, quam perire supponimus, non introducendâ, quia supponitur nondum introducta, ergo neutra & si alterutrâ, cur non utrâq;? non enim est major ratio cur unâ quam alterâ gaudeat. *Dices*, in eodem instanti expelli veterem, & introduci novam *Resp.* Ergo. 1. In eodem instanti materia informatur duabus formis disparatis. 2. Ergo generatio non sequitur corruptionem sed sunt simul, nec expellitur forma A. antequam introducatur forma B. hinc 3. Nulla fingi potest successio generationis & corruptionis, cum supponantur esse simul & in eodem instante, quis (quæso) capere possit, quî in eodem instante expellatur una forma & introducatur alia? Sed si forma corrumpenda expellatur in instanti A non poterit forma succedens introduci in eodem sed in instanti B. immediatè sequenti, (supponimus enim ex disp. de cont. instans instanti immediatè succedere) jam quæritur à quo sub isto transitu conservetur materia incompleta? & cur in hac transmutatione, materia non expiret quasi inter amplexus formæ recedentis, ut

eadem

eadem sit urna viri & uxoris ita à marito pendentis, ut per eum quasi subsistat?

SECT. 6.

Tria tantum sunt elementa *Aer*, *Aqua*, & *Terra*. Ignis autem non est corpus simplex, sed mistum ardens; & cur corpus ardens potius quam lucidum constituat speciale elementum non video? est quidem *ignis* subjectum caloris intensissimi, sed quare calor intensissimus vendicet sibi subjectum primum & simplex non ostenditur? *Dices* calorem esse qualitatem primam, ergo postulat subjectum primum *Resp.* calorem esse qualitatem primam, fortè conaberis ostendere, quia est in subjecto primo, & sic per eandem ibis & redibis viam; sed si calor sit qualitas prima, an lux est secunda, & orta, à qua quæso qualitate, vel à quarum permixtione orietur? experientiâ enim constat ipsam esse caloris fontem, & calorem à luce procreari. 2. *Resp.* Calorem à sole ut primo fonte & origine manare sicq; esse qualitatem adventitiam, & profluere à causâ extrinsecâ, efficiente & conservante, & non ab intrinsecâ, nisi in corporibus animatis & paucis inanimatis, & in his non à simplici natura alicujus elementi, sed à natura misti & variis qualitatibus hoc aut illo modo in eo permistis, qua qualitatum temperie alterata minuitur, & tandem extinguitur calor. *Dices.* Ignem

nem ſubminiſtrato pabulo non deficere. *Reſp.* Ergo ignis eſt voracis naturæ, & calor qualitas activa apta producere calorem in materia idonea; in nova itaq; materia ſeu pabulo, ſemper producitur novus calor priori (corrupto pabulo) pereunte, non enim poteſt accidens è ſubjecto in ſubjectum migrare, ſicq; caloris intenſiſſimi (de quo præcipuè jam inquiritur) nullum datur principium intrinſecum, effectivum & conſervativum, ſeu ſubjectum primum à quo neceſſario dimanet, & cum quo reciprocatur; nam miſtum priuſquam arſerit non corripiebatur, & quando ardere deſinit non amplius corripiturifto calore, & ſi ab intrinſeco inflammetur, à putredine & tali vel tali diſpoſitione & variarum qualitatum permiſtione, non poterit dici prima: ternarium itaq; elementorum numerum colligimus ex Sacra Hiſtoria, *Gen.* 1. ubi *v.* 20. Omnia numerantur, *terra* & *aqua* expreſſe & *aer* dicitur *expanſum in quo aves volitant* ſed de *igne* altum ſilentium, & ex textu (ſubveniente ratione & experientia) ſic arguitur, *elementa* ſunt matres, nutrices & domicilia omnium rerum ſublinarium, ſed ex *igne* nihil fit, *ignis* nihil nutrit & perficit, ſed potius omnia deſtruit & in igne nihil conſervatur. 2. Cui natura nullum locum vel motum ad locum conceſſit, non poteſt ſtatui corpus primum & elementare, ſed igni nullum proprium locum vel motum conceſſit natura, ignis autem in concavo lunæ acutum

rum ſit rationis inventum naturæ tamen appa ſet portentum, non eſt autem *ignis*, qui aſcendit, ted *flamma* quæ paululum rare facta & elevata extinguitur; *ignis* autem ſurſum deorſum, ante retro, & verſus quamlibet poſitionis differentiam ubicunq; pabulum reperit ſerpit, & quis crederet magnum philoſophum putaſſe ignem aliquem fatuum in concavo lunæ exiſtere, licet diſputando & inquirendo videatur cum communi ſententia interdum conſpirare maximè cum Meteor. 1. cap. 4: expreſſe aſſerat, *ſupra aquam eſſe aerem non ignem, licet vulgo ignis vocetur* & Gen. 2. cap. 3. (ubi ex profeſſo de elementis ſeu principiis miſtum conſtituentibus diſſerit) diſerte affirmat & probat, *ex igne nihil gigni, ignemq; non poſſe miſtum componere & conſtituere* & loquitur univerſaliter de omni igne & oſtendit nullum (ſive dicatur *ſuperætherius ſive culinaris*,) poſſe concurrere ad generandum miſtum; non ergo decet diſcipulum *Ariſtotelis* ignem in numerum elementorum referre, ſupponamus itaq; dari ignem ſuperæthereum, per quos quæſo currus, vehicula aut canales ad nos deſcenderet? *Quod autem* ignis noſter (qui culinaris vel focalis appellatur) nullius miſti compoſitionem ingrediatur, adeoq; nec elementis annumerari poſſit, apparet, quia licet calor intenſiſſimus qui reperitur in miſtis ardentibus poſſit extrinſecus cauſari, & variorum mixtorum ortum & interitum cauſare, non tamen poteſt in-

intrinſece conſtituere nec concurrere ad compoſitionem miſti; per ſe enim tendit ad deſtructionem miſti, & per accidens tantum ipſius vi generatur unum vel plura miſta; deſtruit enim vincula & uniones rerum adeóq; ad deſtructionem & non ad conſtitutionem rerum per ſe tendit & hæc eſt expreſſa ſententia Ariſtotelis ὑδὼρ (inquit *Gen.* 2. *cap.* 8.) ἐκ πυρὸς γίνεται ubi ignem cum glacie comparat, & dicit utrumq; eſſe qualitatis exceſſum, *viz.* glaciem frigoris, ignem caloris, ergo neutrum eſt ſubſtantia, corpus vel elementum licet miſto ſubſtantiali inſint & denominationem quandam accidentalem ei tribuant, quod ibid. probat Philoſophus noſtro argumento, quia *viz.* exceſſus qualitatis per ſe tendit potius ad corruptionem quam generationem et licet miſto accidere poſſit, non tamen illud conſtituere. *Dices* calorem intenſiſſimum conſtituere miſtum ardens ſeu ignem. *Reſ.* Negando miſtum ardens, eſſentialiter diſtingui a miſto non ardente, facit quidem miſtum ardere ſed miſtum non conſtituit, ſed quam cito poſſit illud deſtruit, hinc potius dici poterit præda quam ſubjectum caloris intenſiſſimi, certum eſt ſummum calorem conſtituere ſumme calidum ſeu ignem ſed hoc nihil aliud eſt quam ſummum calorem, eſſe ſummum calorem, quando itaq; ſummum calorem concedimus igni, hoc comparate accipi velim, non quod calor ignis non admittat gradus, nam in materia

materia ſolidiori, compactiori, ampliori ſeu majori, ſulphurea, &c. Eſt major et intenſior, ſed quia calor ignis eſt intenſior quolibet alio calore, et nihil dicitur ardere donec intenſiore calore quam in aliis conſpicitur, corripiatur; ignem non ingredi compoſitionem miſti manifeſte apparet ex voraci ipſius natura, inſtabili conditione et indigentia pabuli, in parva enim et minuta materia ſtatim perit, quî igitur poterit conſervari in minimis particulis ſenſum effugientibus et per miſtum diffuſis, cum ne ſeparationem et alterationem miſtioni prævium ſuſtinere poſſit, et ſi permaneret, quî poterint particulæ proximæ et viciniores, ab ipſius voracitate cuſtodiri? *Dicet*, Ignis omnia format, conſervat et fovet. *Reſp.* Eſto, quid inde ſequitur, τὸ πῦρ μάλιστα ποιεῖν καὶ κινεῖν non diffitetur Philoſophus. *Gen. et Cor.* 2. 1. 9. *text.* 55. et *Plato* in *Timeo* dicit; *ignem eſſe quaſi agentem, & terram quaſi materiam.* Vult enim ignem eſſe maxime activam & terram maxime paſſivam, hinc terra *Mundi uterus* (in quem *viz.* rerum gignendarum ſemina tranſmittuntur) nuncupatur. *Zeno teſte* Cic. *lib.* 2. *de nat. deorum*, dixit naturam nihil aliud eſſe niſi *ignem artificioſum*, & ignis vocatur *artium Magiſter*, non quod natura ſimplici, ſed quia calore qualitate actuoſiſſima, & ad res efficiendas & corrumpendas aptiſſima conſtat. unde Philoſophus de ſenſu & ſenſib. cap. 4. Docet, *ignem* non niſi *quatenus*

cali-

calidum agere ac si dixisset quando de ἐνέργεια & virtute activa ignis agitur, nihil attinet inquirere qua natura quave substantia constet, si enim spectetur in ordine ad actionem, ξηρὰ ἢ τοῦ πυρὸς φύσις ἴδιον τὸ θέρμον ἐστι sive naturam, sive proprietatem ignis qua talis inquiras, solam siccitatem et calorem reperies: missa itaq; siccitate ut qualitate minus excellenti; usum, necessitatem, et præstantiam caloris eleganter et paucis prædicat, Jo. de Mey com. Phys. part. 2. cap. 5. loc. 19. *Principem* (inquit) *tenere locum inter omnes qualitates calorem, uemo inficias iverit, qui præstantissima ipsius effecta inspexerit, minime comparanda cum aliarum qualitatum effectis; deprehenduntur autem ea, cum in natura, tum in arte; in natura, dum generandarum rerum omnium solertissimus est artifex, generatarum & præsertim animatarum, benignissimus conservator & motor, &c. calor corporibus* (inquit Patricius) *& constitutionem præbet, & essentiam conficit, & vires indit, & actiones cum in se agitat, tum extra se egerit, & vitam propriam exercet, sine enim calore, corpus naturale non fieret, nec fluor flueret, nec in se densaretur, nec corpus ullum solidum aut liquidum sine calore aut factum est unquam, aut fieri potuit, aut potest: in artibus quoq; adeo insignia occurrunt præstantiæ ejus testimonia, ut veteribus artium Magister fuerit nuncupatus. Quis metallorum jam foret usus nisi caloris ope domita, polita & ad varias opportunitates accommodata haberemus,*

quam

quam multa naturæ secreta perpetua morte sepulta jacerent, nisi calore in lucem fuissent protracta &c. Ubi quædam rhetorice potius quam logice dici, claret: sed de calore loquitur et non de solo intensissimo ignis calore, qui rebus potius resolvendis quam constituendis, et corrumpendis potius quam generandis (nisi per accidens quatenus *viz.* corruptionem unius comitatur generatio alterius) inservit. hinc principium potius ἀναλυτικὸν quam συνθετικὸν et resolutionis ac corruptionis potius quam generationis ac compositionis statui debet adeo ut *Empedocles.* (teste *Plutarcho de prim. frig.*) calorem vocaverit, *litem* omnia superantem; compositum itaq; substantiale per calorem constitui, quis præter *Heraclitum* σκοτεινὸν qui ex ignominia (ne elementis exceptis) nata fuisse credidit) serio dixerit? et calorem conservare et fovere frigida et humida, iisq; non esse mala et nociva, quis asseret, nisi qui ludendo cum *Carpentario*, ignem esse *humidum*, vel insaniendo cum *Libycis* ignem esse *deum*, vel cum aliis deliris homunculis ignem esse *animam* mundi statueret

Scal. exercit. 258.

SECT. 7.

Omnia elementa sunt *incorruptibilia*, et *ingenerabilia*, ubi enim non est transmutationis subjectum, locum non inveniunt generatio et corruptio,

ruptio, ſed in elementis utpote corporibus ſimplicibus, nullum eſt ſubjectum tranſmutationis ſeu materia manens eadem ſub variis formis, Ergo; cum enim ſunt entia ſimplicia, non poſſunt incipere vel deſinere niſi ſecundum ſe tota; ergo non niſi per creationem & annihilationem, hinc *Spanhemius* & alii Theologi quibus probabilius videtur, cælos in conſummatione ſæculorum mutationi non ſubſtantiali, ſed tantum accidentali & perfectivæ obnoxios fore, licet miſta (utpote naturâ ſuâ corruptibilia) in elementa ex quibus conflata ſunt reſolvenda ſtatuant, ipſa tamen elementa non minus quam cælos in perpetuum duratura autumant, & hinc conſtat ignem non eſſe elementum, & licet purgationi & renovationi cæli & terræ, & reſolutioni miſtorum in elementa inſerviat ignis; 2 *Pet.* 3. *v.* 7. 10. Factâ, tamen noviſſimâ purgatione, ut ignis nullus uſus ita & nullum pabulum & nullus locus, & cum ignis jam paſſim generetur & corrumpatur, & à variis cauſis oriatur, ut ex conflictu ſilicis & ferri, vel variorum lapidum à luce & radiis ſolaribus in ſpeculo unitis & reverberatis ab alio igne, *&c.* Et ad ejus productionem requiratur materia idonea & combuſtibilis, *viz.* Sulphurea, pinguis, *&c.* Et ex defectu pabuli ſeu alimenti extinguatur & pereat, generationi & corruptioni obnoxius eſt non minus, ſed potius magis quam alia miſta, *Dicet* aquam per calorem ignis deſtrui

& corrumpi & ex vaporibus generari. *Reſ.* Humiditatem aquæ per calorem ignis multum minui, & ipſam aquam in vapores reſolvi, qui (ſubſidentibus partibus terreis) cum aereis particulis ſurſum elati & uniti ac compactiores adeoq; & fortiores redditi ſuam priſtinam frigiditatem recuperant & per guttas pluviales in ſuum locum tendentes deſcendunt. *Dices*, Ariſtotelem, *Gen. 2. cap. 4.* aſtruere reciprocam elementorum tranſmutationem, ita ut ex quolibet elemento igni poſſit quodvis aliud, & ibid. ſtatuere decuplam proportionem inter elementa ſuperiora & inferiora, ita ut ex una parte terræ decem aquæ, & ex una aquæ decem partes aeris igni poſſent. *Reſ.* Philoſophum loqui de elementis non in ſtatu *puro* & ſimplici, ſed quem in mundo obtinent qui eſt ſtatus *miſtionis*, nam licet terram appellemus quod locum infimum poſtulat & in quo terra ita Dominatur, ut alia ei permiſta ſenſibus vix obvia ſint, & aquam in quo aqua, ac aerem in quo aer ita prævalet ut ea cum quibus miſcetur vix appareant, tamen nullum & nullibi datur elementum purum, ſaltem ubi viciſſitudini, generationi & corruptioni locus conceditur, (ſi enim aer in ſuprema regione & terra apud centrum dicatur pura, ibi nulli tranſmutationi eſt obnoxia.) Et ſi forte exiſteret elementum aliquod purum, licet eſſet ornamento, nulli tamen commodo & univerſi emolumento inſerviret; hinc Philoſophus.

Gen.

Gen. 2. cap. 3. Diſerte affirmat nullum dari elementum purum, ſed omnia eſſe miſta, & quod appellamus aera rectius vocari *aereum*, aquam *aqueum*, *&c.* Hinc claret quî poſſet ex quolibet elemento ſic aliis permiſto, quodlibet gigni, & cum partes aquæ permiſtæ terræ, ut & partes aeris permiſtæ aquæ, ſint ſolidiores & multo compactiores ſeu denſiores, & partes aquæ & terræ permiſtæ aeri ſint multo tenuiores & rariores, quam in ſuis locis ubi ita dominantur & prævalent, ut alia iis permiſta vix diſcerni poſſent, hinc probabili quadam conjecturâ experientiæ innixâ, decuplam elementorum tranſmutationem ac proportionem aſtruere potuit; cum itaq; *v. g.* aer dicitur ex aqua gigni, tantum extrahuntur partes aereæ fortè cum partibus aquæ ſubtilioribus adhæreſcentibus, ſicq; quod extrahitur apparet eſſe aer, ſed impurus, & ſi multæ & aliquantum craſſæ partes aquæ adhæſerint, cenſetur vapor, & ſic in aliis elementorum tranſmutationibus, ſervatâ ratione accommodatâ & debitâ proportione, Philoſophandum; ubi obſervabis ſemper ex uno miſto fieri aliud vel alia miſta, hoc vel illo elemento ita prædominante, ut alia vix appareant; miſtio tamen interdum eſt perfectior, ut quando omnia elementa extrahuntur ad novum miſtum conſtituendum, interdum imperfectior ut in meteorologicis impreſſionibus, ſi quæratur utrum hæc elementorum tranſmutatio dicenda

ſit generatio an alteratio? *Vogelius* in ſua Epitome textûs Ariſtotelici *Gen.* 2. *cap.* 5. Dicit Philoſophum docere elementorum tranſmutationem non eſſe generationem ſed alterationem, ſed eo loci videtur potius ad hominem & arguendo hoc inferre quam ex ſua ſententia ſtatuere; nam licet in hac tranſmutatione, ut in quavis alia miſtione miſcibilia tantum alterentur, cum tamen fiat varia & multiplex ſeparatio, nova permiſtio, & nova miſcibilium unio, dici poterit nova generatio licet nova forma ſubſtantialis non adveniat, cum generatio qua talis & per ſe nec ad materiam nec formam ſed ad unionem partium terminetur, ut ſtatim oſtendemus.

SECT. 8.

Qualitates elementares ut in miſtis, ita etiam in ipſis elementis *gradus* admittunt; manet aquæ natura licet frigus & ſenſibilem humiditatem amittat, ſiccitas & frigiditas terræ non excludit humiditatem & calorem, & quis dixerit aerem eſſe incapacem vel caloris vel frigoris vel humiditatis vel ſiccitatis, cumq; mutatis iſtis qualitatibus non mutetur natura elementorum, tandem datâ occaſione, & hoſtibus devictis, recuperant ſuas nativas qualitates, & ad gradum naturæ ſuæ convenientem provehuntur. Sed ſi cum qualitatibus ipſa *natura* (ut creditur) perirer,

periret, nulla apparet causa, origo & principium recuperatarum qualitatum, hinc.

SECT. 9.

Cum miscibilia, ruptâ *unione*, suas nativas virtutes & virtutum perfectiones recuperent, argumento est ipsorum naturam cum qualitatibus non fuisse *fractam* & debilitatam, quando post conflictum inito quasi fœdere ad constituendum mistum conspirârunt, & suppositio quod elementa maneant formaliter & essentialiter in misto, facilè intelligitur (quum alias vix possit ostendi,) quomodo mistum in elementa resolvatur; nec video quî possent virtutes seu qualitates elementorum manere, pereunte ipsorum radice & fundamento; vel cur mistum non possit tam dici corpus simplex quam ipsa elementa, Si (ut vulgo creditur) cum hæc tam illud constent materia & forma simplici. Licet itaq; elementorum naturæ non frangantur nec remittantur, non tamen possunt in tam parva & exigua quantitate omnes suas vires exercere, & à communi vinculo & instinctu totius determinantur ad studium concordiæ; imo dum totius etiam sui quodammodo conservationi student, nam vis unita fortior; cumq; particulæ elementares, vix possint naturaliter conservari per se in tam parva quantitate hinc appetunt cum aliis conjungi, & ab iis ægre divelluntur & in

ipsa separatione quantum possunt conjunguntur, & inter se separatæ aliis nubunt & copulantur, hinc.

SECT. IX.

Elementa, fractis viribus, & qualitatibus ad *temperiem* redactis, non amplius pugnant; sed potius pro conservatione totius quod constituunt amicè conspirant, ut in moralibus & ex consilio agentibus, fractis utrumq; copiis, rumpi solet contentionis funis, & fœdere inito diffidentes ad sese defendendos contra communem hostem conspirant, maximè si expulsis vel ligatis rebellibus & contumacibus, belli domestici incendium extinguatur.

SECT. X.

Mistum qua tale nullam videtur postulare *formam* ab unione miscibilium *distinctam*, cum enim miscibilia suam naturam retineant, & in misto variè alterentur, ab hac alteratione peti poterit omnis varietas quæ in mistis qua talibus conspicitur, hinc mistio definiente Philosopho, *est miscibilium alteratorum* (non corruptorum) *unio*; terminus igitur mistionis non est nova *forma* sed nova *unio*, licet itaq; in mistione non procreetur nova aliqua forma (prout vox formæ vulgo sumitur,) est tamen *mistio* suo modo *generatio*, cum generatio, qua talis, & per se, tantum

tantum terminetur ad unionem partium, nullamq; formam vel ſubſtantiam generari, vel à cauſa creata produci non ita pridem evicimus, & in generatione hominis rem ita ſe habere in confeſſo eſt; *dixi* tamen miſtionem tantum ſuo modo eſſe generationem, quia licet ad unionem terminetur, iſta tamen unio eſt potius partium integrantium quam ſtrictè eſſentialium & fit per immediatam partium approximationem, & non per intimam partium penetrationem. *Dices*, generationem & corruptionem ſic confundi cum accretione & decretione. *Reſ.* In novo miſto cum nova materia, eſſe novam naturam reſultantem ex unione & miſtione, ad quam terminatur generatio & non accretio, *generatio* itaq; licet terminetur ad unionem, non tamen quamlibet, nec quomodocunq; ſed ad unionem, ex qua reſultat nova res & *nova natura*, ſed in accretione non fit nova res, nec uniuntur partes diverſæ naturæ concurrentes ad conſtituendam novam rem, ſed adduntur & adunantur partes ejuſdem rationis & naturæ cum toto; hinc *decretio* ſupponit rem jam productam, ſed *generatio* eſt ipſa rei productio *Hurtadus*, *Oviedo*, *Comptonus* & alii diſtingunt augmentationem & diminutionem ab accretione & decretione quod hæc ad quantitatem, illa ad ſubſtantiam terminentur, ſed hæc diſtinctio cum nitatur diſtinctione quantitatis a ſubſtantia materiali, ſi hæc di-

cantur realiter, illa etiam realiter, si hæc tantum formaliter & ratione, illa etiam eodem modo censenda sunt distingui, & quicquid dicatur, nec *augmentatio* nec *accretio* propriè & absolutè dici poterit *generatio*, cum per eam non fiat nova res & natura, sed res ptius existens fiat major, cum addito tamen augmentatio dici possit *partialis* generatio seu adgeneratio, (nutritio ut communiter, ita & antonomasticè sic appellatur) cum novæ partes substantiales superaddantur rei prius existenti.

SECT. 12.

Mistum qua tale est *unum* per se, est unum non simplex sed compositum, est unum non quia caret partibus sed quia ejus partes sunt unitæ; est igitur unum unitate continuationis & adunationis, estq; unum per se, non minus quam ipsa elementa per se extra mistum existentia, vel materia misti juxta eos qui mixtum ex materia et forma componi astruunt; cum igitur fateantur unum continuatione partium esse unum per se, non est cur vereantur dicere mistum esse ens unum per se; vel si fateantur materiam misti, esse ens per accidens, quî poterit mistum ex tâ constans dici ens unum per se? sed hoc fortè *scrupulum* injiciet quod elementa ex quibus constat mistum, sint entia completa, ex entibus autem completis non potest fieri ens unum

unum per se. *Resp.* Elementa ut sint in misto licet essentialiter & Metaphysicè sunt completa, non tamen entitativè & Physicè, cum sint in tam parva quantitate, ut physicè non possint per se existere, ut ergo sunt in misto sunt entia incompleta & partes, & licet per se existere possent, cum tamen ut sunt in misto ita sint attemperata & comparata ad totum constituendum, ut naturam totius amittant & naturam partium induant, pro partibus & entibus incompletis haberi debent; *Aristoteles* in ipsa definitione *quanti*. Met. 5. cap. 13. statuit illud *constare ex istiusmodi partibus, quorum unaquæq; apta est per se & separatum existere ut totum:* at quantum (inquiunt) est ens unum per se & prædicamentale, ergo similiter, *&c.*

SECT. 13.

In corruptione misti vix unquam fit *resolutio* in elementa, sed omnis misti resolutio est in mista, & licet in continuis effluviis & evaporationibus spirituum & corpusculorum insensibilium, minima naturalia separabilia & per se existere valentia extrahi vel extrudi concipiamus, nunquam tamen extrahitur pura alicujus elementi particula, adeoq; nec in tam parvâ quantitate ac in misto existit, hinc diximus elementa ut in misto existunt comminuta, induere naturam partium & entium quasi incompletorum per se existere vix valentium.

SECT.

SECT. 14.

Cumq; tanta ſit *varietas* permiſtionis elementorum & particularum elementarium, tot & tam variis qualitatibus præditarum, quæ pro variâ cum aliis permiſtione novas & novas qualitates & diverſum temperamentum acquirunt & impertiunt partibus cum quibus conjunguntur & uniuntur, nec ex toto amittunt quando fit ſeparatio, adeoq; nova & diverſa unione facta, novum & diverſum oritur temperamentum, qualitatum permiſtio, & novarum qualitatum, virtutis & proprietatum ortus, cumq; plurimæ virtutes quaſi ſopitæ deliteſcant, donec commiſtione cum aliis exuſcitentur; *Hinc* ſtupenda apparet copia, magnificus apparatus et ſplendidus ornatus rerum ſublunarium tot diverſis coloribus, odoribus, ſaporibus, *&c.* Fulgentium; quando igitur dicimus pro diverſitate permiſtionis elementorum et particularum elementarium eſſe tantam varietatem in miſtis eorumq; temperamentis, virtutibus, operationibus, effectibus, *&c.* Hoc non ita intelligi volumus, ac ſi in hac parte miſti ſit hæc, et in illa parte alia qualitas, ſed quod in ſingulis partibus miſti ſit variorum qualitatum pro diverſâ miſtionis ratione, conjunctio et temperamentum, hinc recte docuit Philoſophus. *Gen.* 2. *cap.* 7. Quamlibet partem miſti eſſe miſtam, non quod

plura

plura elementa in qualibet parte mixti existant (nam sive dicantur corpora simplicia sive composita, et si formis constent sive illæ dicantur manere sive perire hoc fieri non poterit sine dimensionum penetratione.) Sed quia in qualibet parte mixti commiscentur variæ qualitates resultantes, non ex penetratione miscibilium (nam sic non constituerent majus, et mixtum non esset majus qualibet sui parte) sed ex immediata approximatione, unione, conjunctione et cohabitatione elementorum multimodis complicatorum; nam ad actionem et reactionem sufficit approximatio, et ex conflictu agentium contrariorum oritur permixtio et temperamentum qualitatum nam viribus in pugna fractis et pereuntibus excessibus, fit mutua communicatio virtutis et qualitatum, et ex commissurâ qualitatum resultant aliæ et novæ qualitates activæ, variarum operationum et effectuum principia et causæ; cumq; tanta sit permixtionis varietas, hinc tot, et tam variæ virtutes in mixtis, et tanta disparitas et diversitas proprietatum et operationum et effectuum, ut ab hominibus brevis ævi & aliud ferè semper agentibus vix observari & describi possit, sed quod plures rerum δυνάμεις vires & usus non observârant, ipsorum negligentiæ & oscitantiæ ascribendum, passim enim qualitates occultas crepant, sed quod operationes & effectus lateant occultæ virtutum & potentiarum naturæ minimè

mè aſcribendum eſt, nam de maximè manifeſtis vix aliud cognoſcimus, niſi quod ſint principia & fontes talium vel talium operationum & effectuum. Sumantur maximè manifeſtæ, & quæ ſenſibus clariſſime percipiuntur, quid enim eſt calor, niſi quod calefacit? Frigus quod frigefacit, *&c.* Ut enim aliarum rerum, ita & qualitatum *eſſentiæ* (ut dici ſolet) *latent in profundo putei.* Sed rivuli fontem referunt & ex operationibus & effectibus ducimur in cognitionem cauſæ, & ſi homines experientiis & obſervationibus ſedulò incubuiſſent, de qualitatibus quas vocant occultas, magnâ ex parte ſcire potuiſſent quæ operationes & effectus ab eis profluant, & ita occultæ ſuo modo manifeſtæ evaſiſſent, & fruſtra prætenderetur defectus vocabulorum, quam tali caſu ὀνοματοποίιαν utiq; licuiſſet, ſi modum quo iſtæ qualitates oriantur, quod temperamentum exigant & quibus ſubjectis inſunt, ſedulo obſervaſſent Philoſophiæ ſtudioſi.

SECT. 15.

Miranda eſt *virtus* rerum naturalium ſui conſervationi, augmentationi, vegetationi, fœcundationi *&c.* Studentium; hinc vacui ſtupendum effugium, venuſtus aſcenſus gravium, & deſcenſus levium, admirabiles ſympathiæ & antipathiæ effectus, operationes & indicia, & quaſi ſtupendus

dus magnetiſmus & vis ſimilis attractrici, retentrici & expultrici in animalibus, (nam hæc etiam in animalibus non dirigitur ab animâ, ſed naturaliter operatur) hinc ex unâ parte arcendo fugiendo, nocendo, tranſmutando, & deſtruendo; ex altera attrahendo, fovendo, adjuvando, conſervando, corroborando & perficiendo res naturales inter ſe quandam quaſi hoſtilitatem & amicitiam fovere videntur, hinc *Quæritur* unde dirigantur in iſtis operationibus & à quo principio et radice iſtæ profluant? et 1. conſtat varium et permagnum eſſe influxum aſtrorum et corporum cæleſtium, maximè quoad fœcundationem terræ et aquæ, et vegetationem plantarum mineralium, &c. 2. imprimis agnoſcenda eſt manus et providentia Dei omnia ordinantis, regentis, ſuſtentantis, et corroborantis, qui ut ſolo verbo et voluntatis nutu omnia creavit, *Gen.* 1. *v.* 3. Seqq. et virtutes indidit *v.* 11. 12. 20. Seqq. ſic ſemper facit quicquid vult in cælis terra et mari, *Pſa.* 35. *v.* 6. Ipſe igitur influentias cæleſtes et virtutes rerum ſublunarium ita moderatur, ut omnia ejus nutui obtemperent: ſed jam non inquiritur de cauſâ primâ, nec de cauſis univerſalibus, ſed de cauſis propriis et proximis operationum et effectuum naturalium ex rei naturali intrinſecis, et miſſis aliis dubiis quæ moveri poſſent, tantum quæritur an ſit aliqua ſubſtantialis forma in miſtis, à qua ut radice et principio iſtæ operationes oriantur? ut reſpondeatur ſit hæc. SECT.

SECT. 16.

Principium vegetativum tantum impropriè et Analogicè dicitur *vita*, non quod litem eis movere velim qui istiusmodi principium vitam et animam appellant, sed quo sensu hoc intelligendum sit, explicandum censeo. *Vita* itaq; et *anima* ex suo essentiali conceptu dicit principium cognoscitivum et appetitivum face cognitionis lustratum; quis *Oedipus* dabit unam vitæ rationem et conceptum communem plantis, Deo, Angelis et animalibus? sed principium cognoscitivum omnibus viventibus convenit. Ergo. 2. Ex hac falsa hypothesi quod vegetabilia credantur vivere, videtur manâsse ridiculus error *Pythagoreorum* vegetabilibus etiam sensum ascribentium, et *Manichæorum* contendentium ea non solum vitâ et sensu, sed et ratione pollere. 3. Anima unita corpori constituit animal, sed quod constat principio tantum vegetante non dicitur animal. *Confir.* Denominatio animalis non petitur à corpore, sed ab animâ ut patet; Ergo quod constat animâ et corpore est animal, ubi enim est subjectum et forma denominans, nihil prætendi poterit quod denominationem impediat. 4. Hæc thesis divino nititur testimonio, nam licet Analogicè in Scripturis vites dicantur occidi. *Psa.* 78. *v.* 47. quod seminatur vivificari. 2 *Cor.* 15. 36. *&c.* ut et Metaphorice ma-

re

re dicitur, vidisse *Psa.* 114. *v.* 3. Terræ præcipitur ut audiat. *Isa.* 1. *v.* 2. *Jer.* 6. *v.* 19. *&c.* Propriè tamen solis animalibus vitam ascribunt Sacræ literæ, et plantis, arboribus, et omnibus aliis rebus corporeis denegant, *Gen.* 1. *v.* 29. 30. Ubi Deus omnibus in quibus est *anima vivens*, concedit herbas ad vescendum, sed ipsæ herbæ et arbores non vescuntur herbis nec comedunt; et *Gen.* 7. Sæpius repetitur et ita expresse asseritur sola animalia inter res corporeas seu quæ sunt super facie terræ vivere, ut mirari subeat, cur vulgò non advertatur, *omnia enim in quibus est spiraculum vitæ venerunt ad Noachum v.* 17. Quibus exceptis, *omnia in quibus erat spiritus vitalis perierunt v.* 4. 21, 22, 23. at herbæ, arbores *&c.* non venerunt ad *Noachum*, nec deleta sunt diluvio. 5. Si principium vegetationis esset vita et anima omnia dici poterint vivere, nam licet vegetatio in quibusdam luculentius, in aliis obscurius appareat, in omnibus tamen non pauca vegetationis indicia conspici possent, et in Historiâ creationis. *Gen.* 1. Legimus principium vegetans et fœcundans, ipsis elementis inditum fuisse, quin imo quæ maximè emortua et languida apparent, quandam tamen in se virtutem vegetativam habere, qua sui conservationi si non etiam fœcundationi studeant, sedulis indagatoribus constabit; Ergo licet gradus admittat istiusmodi principium, videtur tamen esse naturæ innatum et abeâ inseparabile, cumq; gradus admit-

mittat, et sit perfectius in uno quàm in alio, hinc arbores herbæ et alia quæ vulgo vocantur vegetabilia, antonomasticè dici possent virtute vegetativâ pollere, et Analogicè vivere; Sed cur his mineralia non connumerantur vix video. *Dices* mineralia non augeri per intus sumptionem alimenti. *Resp.* Unde igitur quæso tanta in iis soliditas, densitas, durities, *&c.* 2. Licet vulgò supponatur, à nullo tamen profertur ratio cur omnia porosa non possent suo modo nutriri per intus sumptionem, licet sola animalia ut proprie nutriuntur, ita propriè et per os intus sumant alimentum, quod tamen etiam diffunditur per poros ut nutriat, in his igitur etiam juxtapositio (si strictè loquamur) est prævia nutritioni, nam nisi sanguis alimentaris approximetur parti nutriendæ, quî poterit eam nutrire & in substantiam aliti converti ?

SECT. 17.

Principiò huic vegetativo varia *nomina* imposuerunt authores; communiter vocatur *forma* item *natura* et res *ex instinctu naturæ* dicuntur hoc & illud agere, à *Comenio* & *Jo. de Mey* appellatur *spiritus* ab *Helmontio Archæus, faber, idea magna e magnum, forma, fermentum.* Non me latet *Helmontium* velle inter hæc distinguere sed frustra tantum enim varia munera unius & ejusdem principii explicat, sed diversos fontes non monstrat;

ſtrat; ſed jam notio *fermenti* multis arridet; quod in odoribus vel fracedine ſubjectari cur autument, non aſſequor; fermentum enim vulgare potius in acetoſitate vel qualitate acidulâ conſiſtit, & in principio vegetativo huic aliquid analogum apparere non inficior, et vocem fermenti penitus non repudiamus, licet ſit auguſtioris ſignificati quam ut naturam principii vegetantis exprimat, & vix ad totam congeriem qualitatum in mixto extendi poterit; licet itaq; temperiem qualitatum ſupponat, qualitates tamen quæ dicuntur primæ eum multis aliis non complectitur, et ut aliquid ab eis diſtinctum ſignificetur uſurpari ſolet; hinc *Helmontius* concoctionem & digeſtionem cibi in ſtomacho aſcribit fermento quod ipſo igne potentiùs operatur, & digerit ea quæ nullâ coctione in aqua maximè ebulliente & calidiſſimâ diſſolvi poſſint, ergo licet calor concurrat & etiam excitet principium vegetans (quod in ordine ad hunc effectum appellari fermentum permittimus) cibi tamen digeſtio calori, ut cauſæ principali ac adæquatæ aſcribi non debet, licet itaq; homines ſuperbientes ut aliquid novi parturiiſſe videantur, novis & peregrinis vocabulis delectentur, ſicq; apud ſciolos nomen obtineant, doctis tamen & ſapientibus ſunt ludibrio, quando nihil niſi ridiculum novæ vocis murum naſci reputant; *cum tamen* (ut monet *Cicero*) *intelligitur quid*

significetur, minus laborandum est de nomine. Κενοφώνως rideo nisi rejectis usitatis vocabulis, res eis significari solitas rejiciant, vel cum *Cartesianis* modos pro rebus substituant, sed quis diceret in numero Philosophorum habendos, qui proprietates & virtutes rerum naturalium in quasdam Schematismos, & Physicam in Magicam transformârunt.

SECT. 18.

Cum *Principium vegetativum* naturæ innatum & insitum sit, ac in mistis novarum & variarum qualitatum accessu mutetur, augeatur & perficiatur, hinc *quæritur* an sit aliqua *forma substantialis* superveniens, quæ cum subjecto mistum essentialiter constituat & componat? vel an tota *varietas*, quæ in mistis inanimatis conspicitur, possit oriri ex variâ permistione elementorum, & mixturâ ac temperamento variarum qualitatum resultantium ex conflictu elementorum ante mistionem, et ex mistione post conflictum & unionem? 1. Responderi poterit, cum ornatus & varietas in mistis non ex uno aliquo capite sed multis & variis, *viz.* à diversis qualitatibus earumq; temperamento, & à variâ elementorum permistione arcessenda videatur; nulla novi principii constituentis vel formæ actuantis & distinguentis apparet necessitas. 2. *Resp.* li-

ber-

bertatem Philoſophandi in hoc & aliis ſpicibus, modo in effrænatam novaturientium licentiam non degeneret; nulli invidentes per nos licebit hic inquirere 1. an principium activum & vegetativum, ſeu *Archeus faber* (ut cum *Helmontio* loquamur) ſit una ſimplex entitas? (ſive oriatur ex miſcibilibus hoc aut illo modo permiſtis, & qualitatibus hoc aut illo modo temperatis & reſultantibus ex hac aut illâ miſtione, ſive à Deo producatur pro exigentia miſti ſic diſpoſiti, illiq; inſeratur ad perfectionem naturæ,) vel an ſit entitas compoſita, ſive ſubſtantialis, (& ex omnibus naturis permiſtis) ſive accidentalis (& ex qualitatibus in miſto reſultantibus)? hinc 2. inquiri poterit, an ſit forma ſubſtantialis vel ſimplex, & ſuperaddita miſcibilibus? an compoſita ſeu natura miſti ex particularibus naturis permiſtis compoſita? vel an ſit temperamentum qualitatum, vel principium aliquod accidentale ex qualitatibus ortum? licet momentoſæ videri poſſent hæ quæſtiones, ſi tamen utrinq; candidè & libere concedatur, id quod natura omnes cordatos docere nata eſt, quod ſua luce claret & à nullo ſobrio Philoſopho negari poteſt, quod diſceptandum relinquetur non erit tanti quin placide & ſine animorum exulceratione, ſcientiarum diſpendio, invaſione vel everſione principiorum Philoſophicorum agitari poſſit; ſed Scioli novaturien-

tes nullum modum tenere ſciunt, ſed mare cælo miſcent & omnia perturbant, *cardo* itaq; controverſiæ in hoc verſari videtur, an principium vegetativum, activum & cauſale quod in mixtis conſpicitur, (& à nullo ſi non fatuo negari poterit) ſit ſubſtantiale an accidentale? 2. an ſit quid innatum & identificatum cum mixto? an quid diſtinctum et ſuperadditum? de hoc ſecundo ab aliis inquiri vix ſolet, et nobis finem contentionis potius rumpere quam protrahere volentibus ſufficiat verbo illud attigiſſe, quod ad primum *Helmontius* contendit omnes formas materiales eſſe creaturas quaſdam neutras ſeu medias, inter ſubſtantiam et accidens de profapia luminis, et à patre luminum ex nihilo creari, alii dicunt has formas eſſe ſubſtantiales, et ex potentia materiæ educi et generari; ſed quid ſit ex materiæ gremio educi, niſi in materiam aptam et diſpoſitam ad hanc aut illam formam recipiendam induci, explicatu eſt difficile, ſed miſſa quæſtione de ortu, de entitate formarum jam maxime diſceptari ſolet, licet itaq; cum *Helmontio* medium inter ſubſtantiam et accidens non agnoſcamus, fatemur tamen difficile eſſe accurate et Metaphyſice diſtinguere inter principia activa materialia, et qualitates accidentales a ſubjectis inſeparabiles, cum illa non minus quam hæ ſubjectis inſint, et à ſuis ſubjectis in fieri, conſervari et operari dependeant: *non eſt* (inquit

quit *Comptonus*) *accidens propterea præcisè accidens quia inest*, (quia non solius accidentis esse est inesse) *sed quia accidit seu advenit rei jam in suo esse plene constitutæ*. Sed an principium hoc vegetativum rem essentialiter constituat, an tantum accidentaliter perficiat, quæstio est à priori vix diversa, et de utraq; placide inquirere permittimus modo à ζητημαχία et λογομαχία caveatur; tantum itaq; statuimus principium hoc esse et rectè dici naturam, est enim *principium internum motus & quietis*. *Dices*, principium hoc non esse primum et per se. *Resp.* cum hæc et illæ operationes per se necessario et adæquate oriantur ab hoc aut illo principio activo, nullumq; aliud principium per se admittant, (licet virtualiter et remote ab elementis; absolute spectatis dici possent oriri) cur illud principium dici non possit primum et per se non video? *Dices* naturam esse principium substantiale. *Resp.* sed 1. an principium activum sit re ipsa distinctum à passivo inquirere licet. 2. an principium hoc activum sit substantia an accidens aliis despiciendum relinquimus. *Dices.* Substantiam non posse intendi et remitti, sed hoc principium modò est perfectius modò imperfectius. *Resp.* An substantia possit intendi et remitti adhuc sub judice lis est, *maximum* (inquit Hurtadus) *fundamentum communis sententiæ est communis Philosophantium consensus vulgarisq; locutio*. Monet tamen

tamen *nullum unquam affirmasse intensionem reperiri in prædicamento substantiæ*, ergò *Averroes*, *Alexander*, *Joannes Grammaticus*, *Zaberella* & alii Philosophi & Medici statuentes elementa remissis formis manere in misto, *Hurtado* sunt nulli; Sed testimonijs non contendimus, tantum petimus à communis sententiæ fautoribus ut ostendant, quare id dici non posset intendi & remitti quod admittit plures vel pauciores gradus ejusdem perfectionis, & cur natura non possit dici modò perfectior modò imperfectior, cum modò perfectiorum modò imperfectiorum operationum & effectuum existat principium, & nihil assignari possit à quo cohibeatur, ne omnes suas vires exerat.

SECT. 19.

Supposito quod nulla forma substantialis superaddatur miscibilibus, mista inanimata ex eisdem principijs et partibus composita rigorosè & Metaphysicè vix differrent essentialiter & specie; cum tamen Physice entitativè & inadæquatè differant, aliquatenus & suo modo dici poterint essentialiter & specie differre, quando enim omnia elementa ingrediuntur constitutionem misti perfecti, eadem specie sunt principia constituentia: cum tamen variè permisceantur & vel hoc vel illud elementum prædominetur &

modo

modò in majori modò in minori male concurrat & cum in quantitate & qualitatibus tanta appareat diversitas, hinc mistum diversam sortitur rationem & denominationem & censetur esse diversæ naturæ; non dicerem tamen in Metaphysicâ Categoriam mistorum inanimatorum describendam, vel seriem generum & specierum strexendam, licet quæ multum & notabiliter differunt juxta crassam & popularem loquendi rationem censeri possent specie & essentialiter diversa, mistum itaq; perfectum essentialiter (licet inadæquate) differre à perfecto patet.

SECT. 20.

Mista tamen proprie dicuntur generari & corrumpi, quia generatio est productio totius sed non totaliter & per se, non terminatur ad productionem sed ad unionem partium, in confesso enim est hominem generari, licet nec materia nec forma hominis per generationem causetur, & in nullâ generatione materiam produci fatentur omnes. *Mistio* itaq; recte definitur à Philosopho *miscibilium alteratorum unio*? ex conflictu itaq; elementorum & activarum qualitatum resultat temperamentum & dispositio ad unionem requisita, sicq; naturaliter uniuntur & quodam quasi glutine, & mutuo amplexu sese fovent sui conservationi & uni-

versi seu naturæ commodo studendo in qua unione faciendâ & conservandâ relucet ἐνέργεια virtutis vegetativæ modo descriptæ, nec potest hæc unio formæ (quæ supponitur adveniens) ascribi, cum dicatur non prius esse quam uniatur, & cum non existentis nulla sit operatio, non poterit sui unionem cum materia causare nisi existat, at non existit nisi unita, ergo forma existente nulla requiritur nec supereſt unio quæ à forma profluat. *Si queratur* quo pacto coeant elementa ad constituendum mistum? *Resp.* ut nihil jam dicamus de influxu cœlorum, impulsu ventorum, motu & operationibus animalium aliisve causis extrinsecis, generatio oritur à corruptione, & corruptio à generatione, *generatio* (ut ait Philosophus) *unius est corruptio alterius & contra*: in nullo enim mixto (supponimus omne mistum esse corruptibile) reperitur tam exactum temperamentum qualitatum nec tam firmum fœdus inter qualitates activas & passivas, quin data occasione & opportunitate erumpat hostilitas, & ne fortiores in impotentiores suas vires exerant, maxime si cum novis viribus novum prætextum pugnæ à violato fœdere inveniant, cum jam singulæ partes non studeant conservationi totius nec habitationem commodam obtineant sed suis rebus consulant, de vi et injuriis frustra conqueratur. Rumpitur itaq; pactum non solum ab extrinsecis quæ nunquam

quam fœdus iverant sed etiam a fœderatis, imo & conservatoribus pacis qui totius saluti & incolumitati qua possent prospicientes, de amicorum & sociorum bonis prædantur, ut v. g. in animali calor naturalis humore radicali pascitur, dum sui et totius conservationi studet, et humido sic absumpto et tandem deficiente calor extinguitur et mors subsequitur, facta itaq; resolutione partes separatæ in sua loca tendentes, et ab hostibus fugientes, et cognatis coniungi cupientes hostibus occurrunt, cum quibus post aliquam conflictum pactis induciis, ad constituendum novum compositum conspirant. Sicq; ex resolutione unius missi oriuntur plura; si enim resolutio sit totalis et quasi ultima, cum partes sunt diversæ naturæ diversa petent loca nec omnes simul, sed quæ prius separantur primo cum hostibus congrediuntur, vel toti cum quo conjungi appetunt adhæresunt, et subsequentes cum aliis et novis hostibus congredientes aliud et novum compositum constituunt.

SECT. 21.

Finitum constans infinitis partibus est chimæra, Omniscientem non comprehendere nec posse numerare, et Omnipotentem non posse exhibere vel separare omnes partes minimi corpus-

culi,

culi, quid implicantius aut magis absurdum fingi poterit; *Aristoteles* de finiens continuum esse *divisibile in semper divisibilia* spectavit Mathematicorum fictas hypotheses & figurarum proportiones, quæ ut relationes logicales, sine termino multiplicari possunt ut disp. de compos. cont. ostendimus; jam tantum moneo sedulò distinguendum esse inter Physicam & Metaphysicam distinctionem partium continui, omnis itaq; unio excludit divisionem & separationem, sed unio quantitativa & Physica etiam distinctionem, non essentialem & Metaphysicam sed quantitativam & Physicam, quæ *viz.* ab agente naturali discerni, & actione Physicâ attingi possit. *Dices* continuum Physicè dividi, Ergo actione Physicâ discernuntur & dividuntur partes Physicè unitæ. *Resp.* Agens Physicum non attendere ad partium distinctionem quam in continuo non reperit, sed facit ubi terminatur ejus actio, sed si esset talis distinctio debuit agens Physicum advertere, & sedulo observare ubi sit unio, ut eam dirimat, ne incassum laboret, unde unio hæc licet causaliter & subjectivè sit Physica, quia *viz.* ab agente Physico causatur & destruitur, & in re Physicâ subjectatur; tamen formaliter & terminative potius dici debet Metaphysica, quia non est inter partes Physicè & quantitative sed tantum Metaphysicè seu essentialiter distinctas; diversitas figuræ, situs

Physico

& designationis extrinsecæ per intellectum, &c. non arguit entitativam, Physicam & quantitativam distinctionem. Corpus Mathematicum à Physico distinctum, esse Mathematicorum figmentum. *Disp. cit.* ostenditur, & si daretur, corpus esset in corpore & corpus penetraret. Philosophos categoriam quantitatis juxta Mathematicorum hypotheses descripsit, nusquam tamen asseruit categorias realiter distingui, quid de fictitiis Mathematicorum lineis superficiebus & punctis & demonstrationibus, putidis istis fulcris innitentibus judicandum sit loc. cit. expenditur: vide quibus rationibus *Aristoteles*, *Met.* 9. *cap.* 3. 4, 5. ostendit abstractiones & hypotheses Mathematicorum esse λόγους σοφιστικους seu rationes commentitias & figmenta.

SECT. 22.

Æternitas, *infinitas* & *immensitas* sunt proprietates Dei incommunicabiles, qui dicit creaturam potuisse ab æterno existere tenetur assignare primum æternitatis instans in quo creetur, maxima magnitudo & multitudo potest fieri major, hæc additâ novâ unitate, illa additâ novâ parte extensâ, Ergo maxima quam imaginari possumus est finita nam infinito nihil addi potest.

SECT.

SECT. 23.

Natura *vacuum* ut sibi maximè inimicum maxime abhorret, hinc maxime contraria amicitiam colent, & junctis copiis sese cuilibet periculo exponent, ut huic hosti capitalissimo se opponant; hinc in corporibus maxime inimicis & oppositis inest quædam vis magnetica adhærendi & attrahendi corpus contiguum et vicinum, ita ut contigua nulla agentis naturalis virtute divelli possent, nisi alia immediate succedant et conjungantur huic a quo illud vel illa separantur; hinc unio recte appellatur naturæ conservatrix, non solum quia vis unita fortior est, sed quia hoste semel admisso ad restim res rediit: hinc corpora caduca et infirma cum tanto hoste congredi non valentia, corporibus incorruptibilibus et cœlestibus velut firmissimis aggeribus muniuntur ab inani quasi extrinseco et hoste pernicioſissimo, et ne ex propriis visceribus pullulescat, omni studio impedire conantur et ut impediant viribus satis instructa sunt; hoc vident ingenioſi experimentistæ quibus compertum est qua quasi arte natura ludat, quot vultus et formas induat, quibus quasi stratagematis utatur, ut ab hoc hoste cavcat, quot stupenda naturæ opera ab hoc uno fonte profluunt: consule medicos imprimis chymicos et quot-

quot

quot Physicæ experimentali operam navant et te docebunt an natura vacuum fugiat. Ridiculi sunt Atomistæ distinguentes inter vacuum *disseminatum* et *concervatum* ut taceam, terminos hosce non videri plene oppositos vel satis appositos, imprudentiæ naturam arguunt, quæ velit cum hoste extra mœnia congredi quem placide in urbem admittit et in sinu fovet, et si non audeat cum hostibus dispersis et vage disjectis concertare quî poterit cum eis unitis et ordinate dispositis contendere, et si non cum hoste minimo et debilissimo quî poterit cum majori et fortissimo pugnare, sed forte novit debiles istos leonis catulos cicurare a quibus si semel adoleverint, caveret.

SECT. 24.

Quid sit *locus* et *tempus* ostendit Philosophus Phys. 4. Sed multi suis commentis (potius quam commentariis) doctrinam *Aristotelis* corruperunt, et rem in se vix difficilem tenebris involverunt. 1. Quod ad *locum* communiter definitur *superficies corporis continentis*, &c. sed *Aristoteles* non dixit locum esse ἐπιφάνειαν seu *superficiem* sed πέρας seu *terminum* et extremum corporis continentis; nec dixit hunc terminum esse *positivum* et *realem*; sed non posse esse realem multis ostendit, quando naturam et proprietates

etates loci explicat. 1. Itaq; docet locum non posse esse in loco, sed omne ens reale est in loco; quod enim nullibi est, non est. 2. docet locum esse primum, proprium et æqualem locato, sed omne corpus continens necessaria est majus contento. *Dices* superficiem tamen concavam corporis continentis esse æqualem superficei convexæ contenti. *Repl.* Sed manifeste implicat contentum esse æquale rei continenti. 2. Si istæ superficies sunt æquales, erunt in eodem loco. Et hinc. 1. *Quæritur* quis erit iste locus communis utriq; si enim superficies continentis postulat aliam superficiem in qua sit ut in loco, hæc postulabit aliam et sic in infinitum. 2. Si superficies corporis continentis et contenti sunt æquales et in eodem loco, sese penetrabunt; at quantitatum penetratio est impossibilis. 3. Philosophus docet locum esse durabilem, et pereunte sive locato, sive locante, non perire, sed pereunte locante, perit superficies locantis et omnis terminus positivus et realis ipsius. 4. Docet locum esse fixum et immobilem et nec cum locante nec locato moveri, sed superficies corporis continentis. 1. mutatur, licet locatum non mutet locum, turris enim, *v. g.* manet immota, licet aer, quo ambitur, et superficies aeris passim mutetur. 2. Moto utre aqua pleno aqua locum mutat, sed non mutatur superficies utris continentis. 3. Quando corpus mutat locum, sæpe

ambitur

ambitur novo corpore et superficie, sed *Aristoteles* vult locum non moveri moto corpore locato, sed manere idem et immobile a quocunq; corpore occupetur; hinc Conimbricenses acerrimi vindices Aristotelicæ doctrinæ, licet autument cum vulgo Philosophum per τὸ πέρας intelsexisse terminum realem et superficiem, tamen fatentur *Aristotelem* statuisse hunc terminum immobilem non in se *sed qua ratione comparatur ad superficiem seu spatium imaginarium omnis motus experi* sed (inquam) quî potest superficies continentis corporis, respondere superficei immobili, intervallo seu spatio maginario, cum hoc maneat immotum, illud mutetur. *Dicendum* igitur est Philosophum non per ordinem ad hoc spatium definivisse locum, sed definiendo locum ostendisse eum nihil aliud esse, *nisi spatium fixum & permanens adæquatum & æquale contento quod illud occupat, contentum undiq; terminans & ambiens.* *Dices* Aristotelem disputare contra hoc spatium et intervallum cap. 4. et 5. *Resp.* Philosophum disputâsse contra chimæricum intervallum a veteribus confictum, quod sit corpus aliquod reale veris dimensionibus præditum et immensum quasi chaos. *Rogabis* igitur quid sit hoc spatium seu intervallum, per quod naturam loci explicandum contendimus? *Resp.* Licet non sit aliquid positivum et reale, (hinc vulgo vocatur imaginarium,) non tamen est pura negatio,

sed

sed negatio per modum privationis, nam licet non sit reale nec in subjecto reali, est tamen terminus et fundamentum variarum habitudinum et denominationum realium, hinc habet suas quasi proprietates, est enim. 1. Permanens et invariabile, 2. Fixum et immobile, 3. Undiq; diffusum, 4. Aptum corporibus repleri, et 5. Incapax ut occupetur a pluribus corporibus simul, et in eadem sui parte. *Dices* locum et tempus esse proprietates corporis naturalis, ergo, *&c. Resp.* Non locum et tempus, sed esse in loco et tempore demonstrari de corpore; privatio itaq; cum sit principium et terminus Physicæ effectionis et generationis, cur non poterit spatium sive loci sive temporis, licet non sit quod positivum, esse terminus Physicæ affectionis et proprietati. *Confirmatur* et ulterius explicatur natura hujus spatii, *possibilitas rei* (de qua fuse alibi) non est aliquid reale et positivum sed tantum non repugnantia ad existendum, nemo tamen dixerit esse quid fictum vel puram negationem quinimo res possibilis statuitur esse eadem cum existenti, licet non sit sed esset, Ergo capacitas hujus spatii ut occupetur a corpore etiamsi a nullo corpore occupetur, (ut extra mundum a nullo occupetur) eundem constituit, afficit et denominat locum, qui postea occupatur vel occupari poterit, Ergo idem est locus sive occupetur sive non,

SECT.

SECT. 25.

Tempus definiente Philosopho, est *numerus motus secundum prius & posterius* per numerum nonnulli intelligunt numerum intrinsecum quem vocant numeratum, hinc tempus quoddam intrinsecum comminiscuntur, sicq; mensuram cum mensurato confundunt, sed res ipsa loquitur & *Aristoteles* se satis explicat, nam *Text.* 113. Expresse docet tempus esse μέτρον κριτικὸν. Quando itaq; *Text.* 103. dixit tempus esse numerum numeratum, tantum ostendit tempus esse continuum, & non numerum numerantem seu discretum, sed nos per numerum numerantem nihil aliud intelligimus, nisi numerum numerantem & mensurantem motus aliarum rerum, & talis est motus solis & lunæ, quæ à Deo in firmamento posita fuisse, ut sint in tempora, Dies & anpos testatur Sacra pagina *Gen.* 1. *v.* 14. & quemq; docet sua experientia, cur ergo ad obscurum primi mobilis motum recurri soleat non video, nisi quia *Aristoteles*, *Text.* 133. dixit motum primum & maximè æquabilem esse tempus, sed aliud est motus primus, & motus primi mobilis, nam Philosophus loquitur de motibus aptis metiri, & dare rationem mensuræ, sed obscurus primi mobilis motus non est ejusmodi & motus solis & lunæ est primus

mus inter omnes motus alia metiri aptos. *Dicit* Philosophus tempus esse numerum seu mensuram motûs, fortè quia naturam per motum definivit, & est præcipua corporis naturalis affectio, sed non excluſit quietem, nec durationem substantiarum & rerum permanentium, sed *Text.* 117. Seqq. ostendit *quietem & omnia quæ in tempore continentur esse in tempore*, licet motus sit mensuratum maximè homogenium mensuræ; licet itaq; motus cælestis multo rectius dicatur tempus, quam superficies corporis ambientis locus, ratio tamen temporis adæquatè & essentialiter non consistit in hoc motu, nam supposito quòd nullus sit motus cælestis: corpora cælestia & sublunaria poterint durare, eorumq; motus secundum prius & posterius numerari. 2. Motus cælestis non est ita stabilis & invariabilis, ut requiritur in perfectâ mensurâ, ut constat ex *Josh.* 10. *v.* 13. *Jesa.* 38. *v.* 8. Hinc *Augustinus Sol* (inquit) *stabat* (viz. pugnante *Josua*) *tempus ibat.* viz. tempus imaginarium, quod concipimus ab æterno in æternum fluere, & in quo apprehendimus prius & posterius sine fine sibi succedentia, & in ordine ad quod tanquam mensuram certissimam & invariabilem prius & posterius, in omnibus motibus & corporibus illi coexistentibus metimur.

SECT.

SECT. 26.

Explicatis terminis ubicationis & durationis cum propriis & per se, tum communibus & magis obviis, quid sit *ubicatio* quid *duratio* haud difficile erit explicatu, licet *Oviedo* (de duratione loquens) credat *difficultatem hic occurrentem esse adeo gravem ut eos tantum non oppresserit, qui illam non tetigere.* Sed causa difficultatis ut & deceptionis est, quia ignorata natura denominationum relativarum (quæ non petuntur ab unâ aliquâ formâ, sed à pluribus, inter quæ est quidam quasi ordo, habitudo vel respectus.) Vulgo supponitur denominationem relativam importare aliquid unum, & forte diversum ab omnibus quæ concurrunt ad istam denominationem tribuendam; hinc ubicationem & durationem finxerunt consistere in quodam modo reali & superaddito rei durantis & alicubi existenti, quem dum venantur & explicare cupiunt, in labyrinthum inextricabilium difficultatum incidunt. *Duratio* itaq; tantum dicit rem existere (& prius extitisse si stricte loquamur) & coexistere tempori sive reali sive imaginario. Et *Ubicatio* dicit rem esse, & esse in hac vel illâ parte spatii seu loco sive reali, & gremio alicujus corporis ambientis, sive non reali, fixo & immobili; hunc itaq; locum necessario & per se con-

notat τὸ *ubi*: illum vero tantum juxta popularem loquendi modum & accidentaliter, annihilatis itaq; omnibus corporibus ambientibus, & destructo sole & lunâ, vel ipsis immotis, res sublunares non minus ac nunc durarent & essent in loco, *quod enim est nullibi vel nunquam, non est* & ipsum tempus reale durat sed non connotat seu existit alteri tempori reali; & locus realis cum sit res & verè sit, est in loco, & si in alio reali, dabitur progressus in infinitum; ergo. *Duratio* et *ubicatio* tantum accidentaliter connotant tempus et locum realem.

SECT. 27.

Aristoteles motus naturam ita accuratè descripsit et species exhibuit et distinxit, ut qui sobriè Philosophari velint ne contrahiscere ausint. Cartesiani ut naturam *motus* ignorant, ita omnes illius species latione excepta negant. Hinc naturam evertunt et cum deliris quibusdam veteribus, omnem causalitatem causis secundis eripiunt; nam motus localis non est effectivus, per eum tantum acquiritur novum *ubi*, quod non distinguitur a loco et locato; nihil enim de novo producitur per hoc, quod res locum mutet, et licet motum localem crepent, nescio quid monstri illius loco substituunt, et nullum ipsius principium nec remotum nec proximum agnoscunt, cum

cum formas ſubſtantiales & accidentales & naturam cum potentiis ſuperadditis reijciant, & novos & inauditos terminos ſuo motui locali (cui omnia accepta referunt) aſcribunt, nam cum naturâ gravitatem & levitatem, quæ ſunt principia motus ſurſum & deorſum, & animam ſenſitivam quæ in brutis eſt principium motus progreſſivi repudiant, & res ipſos in quoſdam ſchematiſmos (quos à ſuo hoc locali motu profluere dictitant) *Naſonica* quaſi Metamorphoſi transformarunt.

SECT. 28.

Arduum problema de *tarditate* & *velocitate* motus explicandum, nec per *μάχας Arriagæ*, & *Carteſii* morulas, nec per Mathematicorum infinitas finiti partes implicatorias, ſed per veram continui rationem & quantitativam indiſtinctionem partium ſpatii, & inæqualem ſeu majorem aut minorem correſpondentiam temporis & ſpatii diſp. de comp. cont. oſtenditur. Quando itaq; ad imaginaria inſtantia temporis, & puncta ſpatii recurritur, dilabimur in labyrinthum Mathematicarum proportionum, qui nullum admittit exitum; & ſic eadem eſt difficultas de ipſo motu, quæ de tarditate & velocitate motus, quî, *viz.* poſſit mobile in eodem inſtanti occupare plura loca ſeu eſſe in ſpatio ſibi inæ-

quali? dicimus itaq; mobile non *esse* simul in pluribus locis, sed simul seu in eodem instanti imaginario *moveri* è loco in locum; non *esse* in spatio sibi inæquali, sed *pertransire* spatia sibi æqualia, & quo velocior fuit motus plus spatii percurrit mobile, *si dixeris* mobile priùs relinquere terminum à quo quam acquirit terminum ad quem, & prius per currere partem A. quam partem B. *Resp.* Mobile priùs percurrere partem A. prioritate rationis, naturæ & ordinis, vel prius prioritate motûs qui mensuratur, non prioritate temporis quod mensurat, cum in eodem instanti & hanc & illam partem spatii pertranseat mobile, in instanti enim non datur prius & posterius, nisi fortè secundum Mathematicorum fictiones & rationes proportionales, & ut Mathematicæ propotiones sine termino multiplicari possunt, ita & hypotheses inter se minimè cohærent, ut in casu objectionis, supponunt enim Mathematici instans esse indivisibile, & non posse in eo prius & posterius assignari, cum tamen juxta ipsorum propositiones teneantur dividere instans in infinita pene instantia.

SECT. 29.

Licet *quantitati* essentiale sit extendi ad locum impenetrabiliter, hæc tamen localis extensio non consistit (ut ita loquor) in indivisibili, maximo

maximo tamen & minimo definitur (licet illa à nobis facile designari non possent,) unde *rarefactio* & *condensatio* consistunt in extensione ejusdem quantitatis modò ad majorem modò ad minorem locum, ita ut licet duo quanta, vel duæ partes ejusdem quanti in eodem loco sine penetratione existere nequeant, una tamen absq; divisione sui locum duarum, & duæ locum unius sine penetratione occupare possunt: quis diceret magis ridiculos esse veteres (ab *Aristotele* Phys. 4. cap. 9. refutatos) statuentes *rarefactionem* fieri per *Vacuitates* inter partes relictas, et condensationem per *exclusionem* vacuitatum & constipationem partium, quam modernos Jesuitas *riagam*, *Cartesium* & *Oviedonem* asserentes rarefactionem fieri per interpositionem quorundam *corpusculorum*, & condensationem per eorundem exclusionem; tantum observo acutissimum Philosophum hanc sententiam vidisse & explosisse, antequam patronum nacta fuerit argumentis efficacissimis, *viz.* 1. Quia corpusculum expulsum movebit sibi proximum, & hoc aliud, donec totus orbis fluctuet. 2. Eadem potest esse materia *rari* & *densi*; Ergo rarum nullam novam materiam admittit, quam densum excludit, ex quo loco *Conimbr. Hurt. Compt. Ovi. Tol.* & alii rarum & densum sic definiendum colligunt, *rarum est quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ*: densum *quod sub parvis di-*

mensionibus multum habet materiæ. Sed sic comparatur *rarum* cum *denso* realiter diverso, sed cum idem corpus possit modo rarefieri, modo condensari, istiusmodi rarum et densum definiri poterit. *Quod sub magnis & parvis dimensionibus eandem habet materiam.*

SECT. 30.

Licet minimè putemus *animas belluinas* à Parentibus oriri et causari tamen An. *animæ brutorum* generentur vel creentur quæstio est de nomine, cum enim sint *materiales* & ita dependeant à corpore ut extra illud nec fieri, nec operari possent, illiq; ut fulcro & subjecto ita innitantur, ut non possint produci, nisi illi ingenerentur, sicq; concursum materiæ necessariò postulent, dici possent *generari*; sed cum ex *nihilo* fiant, & à solo *Deo* efficienter causentur, dici etiam poterint *creari*; *animam* vilissimorum animalculorum, quæ sine *semine* producuntur à solo *Deo* effici in confesso est, cur non etiam *animæ* perfectiores ab eadem causa orientur? quis sobrie philosophando diceret animam a semine (in quo nec formaliter nec eminenter continetur) effici? nos soli causæ primæ cujusvis substantiæ productionem acceptam referendam esse censemus, & alàis evicimus.

SECT.

SECT. 31.

Corpus non potest in recto dici de animali, cum sit pars Physicè & intrinsecè constituens animal. *Dices* non corpus sed corpus animatum De animali prædicari. *Repl.* sed corpus animatum & animal sunt idem & æque late patent, & sic dicere poteris. Non animam, sed animam incorporatam seu corpus informantem de animali prædicari; & cum anima sit pars nobilior, ipsa potius quam corpus de animali dici poterit, maximè cum non à corpore sed ab anima ita denominetur.

SECT. 33.

Anima humana non distinguitur ab *Angelo* per τὸ *rationale*, sed per incompletam naturæ rationem & exigentiam, ut cum corpore uniatur, & ab *anima bellvina* per spiritualem suam naturam æterna & spiritualia respicientem; investiganti igitur *differentiam specificam* animæ rationalis, fingendum erit nomen spiritum incompletum significans, quod in concreto de homine dici ejusq; differentia specifica statui poterit; sic πνευμαψυχία dici poterit differentia hominis specifica, & πνευμαχψυχικὸς in concreto de homine prædicari potest.

SECT.

quali ; & dicimus itaq; mobile non *esse* simul in pluribus locis, sed simul seu in eodem instanti imaginario *moveri* è loco in locum ; non *esse* in spatio sibi inæquali, sed *pertransire* spatia sibi æqualia, & quo velocior fuit motus plus spatii percurrit mobile, *si dixeris* mobile prius relinquere terminum à quo quam acquirit terminum ad quem, & prius per currere partem A. quam partem B. *Resp.* Mobile prius percurrere partem A. prioritate rationis, naturæ & ordinis, vel prius prioritate motûs qui mensuratur, non prioritate temporis quod mensurat, cum in eodem instanti & hanc & illam partem spatii pertranseat mobile, in instanti enim non datur prius & posterius, nisi fortè secundum Mathematicorum fictiones & rationes proportionales, & ut Mathematicæ propotriones sine termino multiplicari possunt, ita & hypotheses inter se minimè cohærent, ut in casu objectionis, supponunt enim Mathematici instans esse indivisibile, & non posse in eo prius & posterius assignari, cum tamen juxta ipsorum proportiones teneantur dividere instans in infinita pene instantia.

SECT. 29.

Licet *quantitati* essentiale sit extendi ad locum impenetrabiliter, hæc tamen localis extensio non consistit (ut ita loquor) in indivisibili, maximo

maximo tamen & minimo definitur (licet illa à nobis facile designari non possent,) unde *rarefactio* & *condensatio* consistunt in extensione ejusdem quantitatis modò ad majorem modò ad minorem locum, ita ut licet duo quanta, vel duæ partes ejusdem quanti in eodem loco sine penetratione existere nequeant, una tamen absq; divisione sui locum duarum, & duæ locum unius sine penetratione occupare possunt: quis diceret magis ridiculos esse veteres (ab *Aristotele* Phys. 4. cap. 9. refutatos) statuentes *rarefactionem* fieri per *Vacuitates* inter partes relictas, et condensationem per *exclusionem* vacuitatum & constipationem partium, quam modernos Jesuitas *riagant*, *Cartesium* & *Oviedonem* asserentes rarefactionem fieri per interpositionem quorundam *corpusculorum*, & condensationem per eorundem exclusionem; tantum observo acutissimum Philosophum hanc sententiam vidisse & explosisse, antequam patronum nacta fuerit argumentis efficacissimis, *viz.* 1. Quia corpusculum expulsum movebit sibi proximum, & hoc aliud, donec totus orbis fluctuet. 2. Eadem potest esse materia *rari* & *densi*; Ergo rarum nullam novam materiam admittit, quam densum excludit, ex quo loco *Conimbr. Hurt. Compt. Ovi. Tol.* & alii rarum & densum sic definiendum colligunt, *rarum est quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ*: densum *quod sub parvis di-*

mensionibus multum habet materiæ. Sed sic comparatur *rarum* cum *denso* realiter diverso, sed cum idem corpus possit modo rarefieri, modo condensari, istiusmodi rarum et densum definiri poterit. *Quod sub magnis & parvis dimensionibus eandem habet materiam.*

SECT. 30.

Licet minimè putemus *animas brutinas* à Parentibus oriri et causari tamen *Animæ brutorum* generentur vel creentur quæstio est de nomine, cum enim sint *materiales* & ita dependeant à corpore ut extra illud nec fieri, nec operari possent, illiq; ut fulcro & subjecto ita innitantur, ut non possint produci, nisi illi ingenerentur, sicq; concursum materiæ necessariò postulent, dici possent *generari*; sed cum ex *nihilo* fiant, & à solo *Deo* efficienter causentur, dici etiam poterint *creari*; *animam* vilissimorum animalculorum, quæ sine *semine* producuntur à solo *Deo* effici in confesso est, cur non etiam *animæ* perfectiores ab eadem causa orientur? quis sobrie philosophando diceret animam a semine (in quo nec formaliter nec eminenter continetur) effici? nos soli causæ primæ cujusvis substantiæ productionem acceptam referendam esse censemus, & aliis evicimus.

SECT.

SECT. 31.

Corpus non potest in recto dici de animali, cum sit pars Physicè & intrinsecè constituens animal. *Dices* non corpus sed corpus animatum De animali prædicari. *Repl.* sed corpus animatum & animal sunt idem & æque late patent, & sic dicere poteris. Non animam, sed animam incorporatam seu corpus informantem de animali prædicari; & cum anima sit pars nobilior, ipsa potius quam corpus de animali dici poterit, maximè cum non à corpore sed ab anima ita denominetur.

SECT. 33.

Anima humana non distinguitur ab *Angelo* per τὸ *rationale*, sed per incompletam naturæ rationem & exigentiam, ut cum corpore uniatur, & ab *anima bellnina* per spiritualem suam naturam æterna & spiritualia respicientem; investiganti igitur *differentiam specificam* animæ rationalis, fingendum erit nomen spiritum incompletum significans, quod in concreto de homine dici ejusq; differentia specifica statui poterit; sic πνευμαψυχία dici poterit differentia hominis specifica, & πνευμαχψυχικὸς in concreto de homine prædicari potest.

SECT.

SECT. 33.

Voluntas non eſt *potentia cæca*, inutilis enim eſſet omnis conſultatio & deliberatio, ſi quod eligit & quare eligat neſciret voluntas; cæco enim perinde eſt an facem accenſam an extinctam ſeu nullam præferas, & qui poterit voluntas dici potentia rationalis aut libera, ſi rationem non percipiat, & inter objecta propoſita ab intellectu diſtinguere nequeat? & perridiculum ſane eſſet ejus imperium, ſi quod aliis imperat ignoret, & ipſius ſententia & decretum quaſi judicium cæci de coloribus flocci faciendum eſſet, & cum *ignoti nulla ſit cupido*, nihil poterit appetere & amare, ſi fingatur non niſi oculis alienis (figmetum ſane dignum *Naſone*) videre, & quid cauſæ, cur diceretur potentia vitalis, niſi intentionaliter in ſuum objectum (illud, *viz.* Repreſentando & apprehendendo) feratur? *Dices* ſufficere, quod homo per intellectum videat, & per voluntatem appetat. *Reſ.* Per te, homo eſt tantum principium quod, & remotum, non quo & proximum; quinimo non principium ſed ſubjectum, quia non eſt homo, qui intelligit, ſed intellectus hominis, non eſt homo qui appetit, ſed voluntas hominis, licet ipſe homo denominetur ſciens et volens ab actibus intellectus et voluntatis; cumq; ſit

vo-

voluntas quæ appetit, necesse est ut sciat quid appetat, et si sit rationalis etiam sciat quare appetat, et hoc potius quam illud eligat; amor enim. v. g. in quo non imbibitur, et in quo essentialiter non includitur apprehensio, representatio et idea rei amatæ, odium in quo intrinsece non imbibitur idea rei odio habitæ, (et ita de aliis) mihi videtur chimæra; voluntas igitur est cognoscitiva, et volitio cognitionem includit et vocari poterit cognitio Θεωτικη ne cum pura intellectus cognitione confundatur.

SECT. 34.

Licet anima *sit tota* in qualibet parte corporis non tamen *totaliter*, cum ita sit in una, ut etiam sit in aliis cumq; sit immaterialis & non habeat partes integrantes, non poterit dividi & per unam sui partem esse in hac & per aliam in alia parte corporis; cumq; tota sit in qualibet parte, si supponeremus eam à Deo destrui seu annihilari, in qualibet parte totaliter destrueretur; nam totam destrui & totam non destrui repugnat; non enim sunt plura tota, nec est alia anima quæ est in capite ab ea quæ est in pede. *Dices* animam esse tantum in una aliqua principali parte corporis, scil. *cerebro* vel *corde*, & hanc informando actuare & vitaliter influere in omnes partes corporis. *Resp.* Hac ratione

nec

nec tolli nec minui difficultatem, niſi dixeris animam tantum exiſtere in puncto indiviſibili; nec expeditior eſt quæſtio de exiſtentia *Angeli* in loco extenſo, ejuſq; coextenſione ad ſpatium diviſibile; ſed quidditativa ſpirituum cognitio vix cadit in viatores; donec itaq; (ut ex multis unum attingamus) comprehenderimus quomodo intellectus, voluntas & memoria, (non addo potentiam exequutricem & motricem, non quod putem eam eſſe materialem, ſed quia alibi probavimus eam à voluntate non diſtingui;) inter ſe & ab animâ diſtinguantur, à ſcrutinio altiſſimi myſterii S.S. Trinitatis abſtineamus; hominem intelligere, appetere, & reminiſci, ac potentiis intelligendi, appetendi, & reminiſcendi pollere quid certius, licet modum quo inter ſe vel ab animâ diſtinguantur explicare non valeamus? ſufficiat igitur ſcire hominem ad *imaginem* Dei factum trinis pollere potentiis, umbram quandam S.S. *Trinitatis* exhibentibus, ut in divina veritate in ſacris Scripturis de uno Deo & tribus perſonis revelata, planè acquieſcamus.

SECT. 35.

Quamvis per tranſennam aſpicientibus videri poterit hæc idea Ariſtoteleo Syſtemati Phy-

Physico multum dissimilis, interius tamen et propius intuentibus alia fortè erit mens. *Obiter* itaq; est libros *Aristotelis* qui ἀκροαματικοὶ seu auscultatorii nuncupantur, cum maximâ attentione legendos esse, et non nisi à peritis indagatoribus intelligi posse, hinc fertur *Aristoteles* matutinum tempus acroamaticæ disciplinæ exercendæ in Lyceo dedisse, et octo libros qui inscribuntur περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως et in quibus agitur de principiis corporis naturalis esse eos, de quorum editione *Alexander* M. cum *Aristotele* expostulavit, non video cur quis dubitet? nobis itaq; maximè perpendendum est quid *Aristoteles* rescripserat *Alexandro*, (cupienti cæteris mortalibus non solum imperio, sed et scientiâ præcellere) viz. se ita de abditis rerum principiis scripsisse, ac si non scripsisset; legenti igitur hos libros in cortice verborum non est sistendum; sed summâ attentione et diligenti scrutinio inquirendum, quæ sit mens Philosophi et pro explicatione doctrinæ Aristoteleæ in his et aliis libris Physicis, sit hæc.

Elementa sunt materia omnium mistorum, et utraq; materiæ definitio ab *Aristotele* allata Elementis convenit, ut et definitiones elementorum materiæ, sunt enim *Elementa primum subjectum ex quibus inexistentibus mistum fit, & in quæ ultimo resolvitur.* quæ est prima materiæ definitio Phys. 1. cap. 6. Et elementa *neque*

sunt

sunt quanta, nec qualia, nec aliquid eorum, quibus ens determinatur, quemadmodum materia definitur Metaph. 7. cap. 3. Si enim elementum consideretur quatenus est in misto non est quid, hoc est quid completum per se existens, neq; spectatur quantitas vel qualitas elementi sed temperamentum qualitatum ex mistione resultantium; quod vero sufficiat diversus status, habitudo seu consideratio ad hanc definitionem constituendam patet, quia alioqui materia juxta communem notionem ex se est quid, seu substantia, et quanta et semper vestitur aliquibus qualitatibus et Aristoteles Phys. 1. cap. 7. Asserit distinctionem formalem sive rationis, sufficere ad distinguenda ipsa principia; et hinc ut obiter moneam in ipsis elementis notio materiæ et formæ, locum habere poterit, nam ratio determinabilis et determinantis potentiæ et actus, &c. Adeóq; etiam materiæ et formæ non excluditur per eorum simplicitatem, utq; definitiones materiæ elementis accommodari possunt, ita vicissim definitiones elementorum materiæ; utq; materiam sic elementa duabus definitionibus describit; de cæl. 3. cap. 3. sic, *elementum est in quod reliqua corpora resolvuntur in quibus inest potentia vel actu.* (an elementa maneant formaliter an tantum virtualiter in misto in definitione elementi noluit statuere) ipsum autem est indivisibile in diversa secundum speciem. Deinde

inde Met. 5. cap. 3. Definit elementum sic, *est id ex quo primum insito ac indivisibili specie aliquid componitur*, utramq; definitionem convenire materiæ fatetur *Hurtadus*, et consideranti manifestum esse poterit, nisi quod in priori supponatur elementum esse corpus, at nostræ et veræ notioni materiæ hoc non obstat, cum nullam materiam incompletam agnoscamus, nullam (inquam) essentialiter incompletam, licet fatemur eam posse ulterius compleri adventu formæ substantialis ut in mistis animatis, et permistione et unione cum aliis ut in mistis inanimatis; utq; elementa dici possunt materia misti, ita & duplex notio materiæ elementis convenit; nam vel considerantur absolutè & secundum suam naturam & ut sunt indifferentia ad quamcunq; mistionem & compositum constituendum, sicq; dici poterint materia prima; vel considerantur ut his vel illis particularibus qualitatibus & temperamentis afficiuntur in misto, & sic induunt rationem materiæ secundæ.

Ass. 2. In libris acroamaticis traduntur principia corporis misti, præcipuè animati; Philosophus tantum loquitur de principiis corporis generabilis (hinc tradit ipsius generationis principia,) et corruptibilis, at sola mista et propriissimè animalia generantur ut et corrumpuntur.

Ass. 3.

Ass. 3. In mistis inanimatis, ut elementa sunt terra, ita unio miscibilium dici poterit forma ab Aristotele descripta. 1. Quia generatio teste Philosopho terminatur ad formam, sed mistio seu generatio mixti terminatur ad unionem; hinc mistio definitur *unio* (virtualiter seu unitio ad unionem terminata) *miscibilium*. 2. Forma, definiente Philosopho, Phys. 2. cap. 3. Met. 44. cap. 2. Gen. Animal. 1. cap. 1. est *ratio essentiæ*, sed ratio essentiæ in misto, petenda est ab unione miscibilium; hinc Meteor. 3. cap. 1. Definit generationem mixti seu mistionem, (quam vix meretur nomen generationis, Gen. 2. cap. 10. affirmat,) *esse mutationem a qualitatibus activis habentibus convenientem proportionem cum materia subjecta naturæ*. Ubi per materiam, intelligit elementa seu miscibilia; & per naturam rationem essentiæ (quam formam appellare possumus) resultantis in misto, ex hac & illa permistione & unione miscibilium.

Ass. 4. Generationem esse mutationem totius in totum &c. Docemus cum Philosopho Gen. 1. cap. 4. Mutatur totum compositum, quia mutatur unio partium; & sæpè ipsæ partes accessione novarum, & recessu priorum: sed per generationem non mutatur totum compositi, nemo enim dixerit materiam generari, & generato homine animam non generari, fide certum

tum est. *Dices* Philosophum ibidem docere *nullum subjectum sensibile manere idem.* *Resp.* Licet elementa essentialiter non mutentur nec sunt re, tamen ratione sunt diversa, ob diversam permistionem & unionem, quam obtinent in misto genito, et omnes fatentur materiam cum quibusdam accidentibus sensibilibus, manere idem in genito quod fuit in corrupto; hinc in definitione generationis, non simpliciter negatur idem sensibile subjectum manere, sed non manere *ut subjectum idem*; vult igitur subjectum esse aliquâ ratione, licet non omnimodè diversum.

Ass. 5. Generationem unius esse corruptionem alterius et vice versâ cum Philosopho asserimus, quia uno corrupto, generatur aliud totum diversæ rationis et denominationis, & hoc generato, illud amittit priorem partium mistionem et unionem, rationem et denominationem: quod effatum si extendatur ad corruptionem animalis quæ antonomasticè dicitur corruptio, ut et ipsius ortus generatio) in sensu consecutivo et causali admitti poterit, (et nemo dixerit in sensu formali admitti posse in ullo casu;) quia ex morte hominis virtualiter dispositive, et tandem sequitur corruptio et resolutio corporis; et hunc sensum nemo respuet, qui non fingit deformem quandam cadavereitatis formam moriente homine, in ipsius corpore resultare, ut in mistis inanimatis corruptionem statim et immediatè sequitur generatio.

Aſs.6. In elementis, datur principium activum et paſſivum motûs et quietis, *&c.* Ergo et ratio naturæ ab Ariſtotele deſcriptæ, Ergo et analogica quædam notio materiæ et formæ, quæ licet in diſputationibus Phyſicis vix uſurpari debeat, ſi tamen in omni corpore etiam ſimplici inveſtiganda ſit ratio materiæ et formæ, ſufficere poterit, teſte ipſo Philoſopho, qui expreſſe docet non requiri ut principia ἀριθμῷ ſeu numero differant, ſed ſufficere ſi εἴδει καὶ λόγῳ ſeu formaliter, ratione & ſpecie diſtinguantur, Phyſ. 1. cap. 7. Qui textus ſatis eſt obſcurus, ſi ad materiam & privationem extendatur (ut eo loci extendi videtur) ſed ſi materiæ et formæ in corpore ſimplici applicetur, ſatis commodum admittit ſenſum.

Aſs. 7. Tranſmutationem elementorum ab Ariſtotele aſſertam, nihil aliud eſſe niſi generationem et corruptionem miſtorum, in quibus hoc aut illud elementum notabiliter prædominatur. *Sect.* 7. Obſervavimus.

Aſs 8. Licet Ariſtoteles in definitione elementorum, conſulto nihil ſtatuere velit de modo, quo elementa permanent in miſto; in definitione tamen miſtionis, aſſerit miſcibilia non corrumpi ſed alterari, et Gen. 2. cap. 7. expreſſe aſſerit, *qualitates elementorum activas & paſſivas eſſe eorum principia & primas differentias* non quod ſunt principia conſtitutionis ſed tranſmutatio-

nis

nis, quibus elementa transmutantur; et ipsæ quoad gradus et permistionem cum aliis, varias mutationes subeant; & pro earum varietate, ipsa elementa concurrunt ad conferendam novam rationem & denominationem misto; sicq; sint differentiæ, sed non distinguentes elementa secundum se spectata, sed distinguentes elementa, ut concurrunt ad nova & varia mista constituenda. Sed quando *Aristoteles* dicit formas elementorum vel in transmutatione elementorum, vel in generatione & corruptione mistorum mutari: hinc conjicere licet de quibus formis loquatur; *viz.* Non de formis substantialibus & constitutivis, (quas esse invariabiles dictitant acerrimi assertores istiusmodi formarum) sed de formis accidentalibus, & principiis transmutationis; & hoc forte multis imposuit, cum nomen *formæ*, *differentiæ*, & *principii*, passim apud *Aristotelem* occurrat, putârunt illud formam essentialem, & principium constitutivum significare; & hinc in omni corpore etiam simplici, principia constitutiva finxerunt: & ex materiâ & formâ componi crediderunt, cum Philosophus tantum loquatur de causis & principiis transmutationis, seu de qualitatibus activis & passivis cumq; materiam quandam incompletam excogitârunt (quia nullum aliud subjectum commune, quod *viz.* permaneret idem & intrinsecè invariatum,

in omni transmutatione cum substantiali cum accidentali invenire poterit) pro formis digladiari tenentur cumq; forma det esse, distinguat, &c. & mistum sit ens unum, hinc contendunt *Aristotelem* voluisse elementa non manere formaliter in misto : operæ pretium igitur foret hanc deceptionis ansam precidere inductione locorum demonstrando, si quid ratum & fixum sit apud *Aristotelem* hoc imprimis, Elementa actu & formaliter manere in misto, quod legenti, *cap.* 10. *lib.* 1. *Gen.* (ubi ex professo explicat modum quo fiat misto) adeò manifestum apparebit, ut ulteriori probatione non indigeat, nam primo *Text* 82. docet miscibila non corrumpi, & quæ non sunt non posse dici misceri ; hinc *Text* 83. distinguit mistionem à generatione & corruptione, & miscibile à generabili & corruptibili, (ergo Philosophus nullam generationem, nisi animalium voluit esse propriam) & *Text* 88. affirmat guttam vini non misceri decies millenis mensuris aquæ, quia forma seu ratio, τὸ εἶδος vini perit, & *Text* 90. definit mistionem esse *miscibilium alteratorum unionem* & cæl. 1. cap. 2. Text. 7. & 12. docet mista moveri virtute dominantis elementi. Nunc amabò quî poterit elementum dominari in misto illudq; movere, si in eo non esset? & *Metaph. lib.* 5. *cap.* 3. & *lib.* 7. *cap.* 17. definit elementum esse, *ex quo inexistente aliquid fit* :

ergo

ergo dum fit aliud seu mistum, in eo existit elementum : & tandem (ut alia missa faciam) *anim.* 2. *cap.* 4. affirmat elementa ex nativâ propensione in sua loca tendentia, nisi anima (à quâ cohibentur à dissipatione) esset in corpore, statim rupto fœdere fore dissipanda ut sua loca occupent.

Ass. 9. In quibusdam mistis inanimatis ab elementis notabiliter diversis in quibus nova & eximia vegetationis indicia apparent, an novas formas substantiales ab unione miscibilium distinctas admiserit Philosophus, vel an admitti debeant, inquiri permittimus ; necessitatem formarum superadditarum in istiusmodi mistis nos vix videre profitemur; autoritas tamen Philosophorum, qui pro eis digladiantur, suum habet pondus, & Cartesianorum argumenta contra has formas facile in ipsos retorqueri poterint, (licet ipsis ut authoribus ascribi non possent,) & facilem habent solutionem ut alibi ostendimus : tantum moneo *Aristotelem* dixisse, *mistionem esse miscibilium alteratorum unionem*, sed quis locum monstrabit ubi scripserat mistum inanimatum constare formâ substantiali, ab unione & qualitatibus alteratricibus distinctâ.

Licet unum *Aristotelem* inter Philosophos mirari soleam, nolim tamen quenquam in ejus verba jurare, Peripatetici ad unum omnes (quicquid malitiosè & inscitè ogganniant novato-

 res,)

res,) *Pythagoricum*, αὐτὸς ἔφη Philosophantium scholis explodendum censent, licet *Aristotelem* benè interpretandum, illiusq; sensum collatis textibus & adhibito judicio inquirendum, & non à quovis ignaro & protervo tyrone invidiosè & imperitè vexandum judicent, non itaq; contendo hanc ideam in omnibus apicibus Aristotelicæ conformem esse, licet *Aristoteleam* doctrinam maximè redoleat: illiq; consimilior sit, quàm quæ in Jesuitarum sive veterum, sive recentiorum rivulis, (quos ex fontibus Aristotelicis saliisse creditur) & amplis commentariis conspicitur, licet authoritatem magni Philosophi contra veritatem non esse premendam judicem, tamen hoc unum magnopere contendo, *viz.* Philosophiam & imprimis Physiologiam methodo Aristotelicâ in scholis tradendam, ut hac methodo instructi ad judicandum de constitutione, naturâ & proprietatibus corporum naturalium, eorundemq; generatione, corruptione, mistione, alteratione, temperamento, virtutibus, *&c.* Paratiores & exercitatiores sumus, ut sedula lectione assueti, & variis experimentis muniti, majorem indies fructum capiamus: & novas rerum virtutes & usus addiscamus & inveniamus, laudo equidem Doctiss. *Verulami*, *Boyli* & aliorum ingeniosorum virorum institutum, & eximiis experimentis multum tribuo, sed nihil indignius ferendum

rendum, quàm ut *scioli* nullis experimentis instructi, & qui ne terminos nôrunt in magnum Philosophum debacchentur, & insolenti fastu sibi arrogent privilegium nova Philosophiæ principia cudendi, in scholarum opprobrium, doctrinæ & scientiæ internecionem, & sui ludibrium; quis enim Philosophiam *Aristotelis* contemneret, nisi qui eam nunquam legerit vel intellexerit, vel ita novitatis stultitio abripiatur, ut nihil ipsi placere possit quod aliis placuit?

SECT. 36.

Cartesianorum *materia* iners & incompleta à parte rei existens omni forma substantiali nudata, ut et corpus compositum essentialiter ex materiâ, et accidentalibus quibusdam modis seu schematismis est chimæra; & futiles isti *Agyrtæ* Philosophiæ fundamenta, naturæ Phænomena & ipsam naturam evertunt; nullum enim internum (imo nec externum) principium motûs & quietis agnoscunt, omnes virtutes activas & causalitatem creaturis eripiunt, nullam generationem vel corruptionem, nullam mistionem aut alterationem in rebus inanimatis, nullas qualitates, & nullum motum nisi localem admittunt; cognitionem, sensum & appetitum brutis adimunt, in principia lumine naturæ nota impingunt, & nihil ita ratum & firmum, nihil ita ratione & experientiâ certum & manifestum,

ut supercilioſe & inſolenti arrogantiâ ab iſtis ſciolis non rejiciatur & proteratur: qui licet ſcientias vix à limine ſalutarunt, tamen ut à Socratis *Dæmonio* edocti, myſteriorum naturæ epoptæ videri velint; ſed dum montes parturiunt, naſcitur tantùm ridiculus *Parmenidis* & *Meliſſi* mus, Licæo multis retro ſæclis exulare juſſus & ipſorum Pythagoras *Ren. des. Cartes*, licet in ſuis meditationibus Metaphyſicis & Phyſicis aliquid novi ſe peperiſſe vulgo & imperitis perſuadere velit & perſuaſerit, tantum *Baſſonis* (ut hic *Meliſſi* ſomnia interpolavit) & ſcepticorum deliria adoptat, ſi excipias ſutile ipſius inventum *cogito ergo ſum*, quod ſuis coloribus depictum puerorum irriſioni aliàs exhibuimus. Opportunè ſanè *Carteſium* hortatur *Schoockius*, *ut in antro ſecure quieſcat uſquedum antiquam Philoſophiam* (quam ſibi ignotam adeò contemnit) *probe intelligat, utq; paulatim in verminorum cognitionem provebatur ſuadet, ut diligenter* (ſi forte capere poſſit) *perlegat Caſtanei diſtinctiones, & Goclenij Lexicon Philoſophicum* & juniores novitatis ſtudioſos monitos velim, ſi à laqueis diaboli cavere velint, ut ſeriò adverrant, an aliquid monſtri & myſteri *odiè* lateat, quando *Carteſius* de atheiſmo etiam ſuis diſcipulis ſuſpectus, totus eſt in *Geometria* & *Algebra* prædicanda, & omnia quibuſdam *modis* & *ſchematiſmis* aſcribat, quis neſcit *Caballiſtas* in

nu-

numeris omnia naturæ *mysterio* & arcana inquirere, omnesq; *Magorum* filios, lineas & figuras admirari; & quid Cartesiani schematismi à magicis differant, oculatissimi se non videre agnoscunt.

SECT. 37.

Atomistæ (qui secundam novaturientium aciem instruunt,) infamis *Epicuri* (qui teste *Cicerone ex animis hominum radicitus extraxit religionem*,) sententiam interpolantes, dum sibi ut solis naturæ mystis *παρρησίαν* arrogant, omnium doctorum fiunt ludibrium; nihil enim dicunt, nihil explicant, nihil probant 1. nihil dicunt pro suis atomis, pugnent Peripateticis non contradicentibus, dummodo in iis mysteria non venentur; quis enim negat effluvia corpusculorum tenuiorum & subtiliorum ex corporibus humidis calefactis animatis, &c. quot quæso & quam minuta corpuscula, luce ac splendore radiorum solarium detecta in aere conspiciuntur? & ex insensili augmentatione arborum & animalium, (quæ creviſſe potius quam crescere cognoscimus,) apparet minutiora esse quædam corpuscula, quam ut ullo sensu deprehendi possent: quis enim describet terminos illius quod singulis momentis adjicitur, eis quæ continuò, sensim & tarde augentur? vel

quid

quid detrahatur eis quæ ſic minuuntur? quinimo *Ken. Digbey* ad *Ariſtotelem* ut atomorum patronum provocat: paſſim enim diſputat Philoſophus contra atomos *Democriti*, ſed non contra *atomorum* exiſtentiam, ſed contra *atomos* ſaltantes & pugnantes, ex quarum fortuito concurſu omnia oriantur: contra *atomos* à particulis elementaribus vel miſtis (ex elementis conſtantibus) diſtinctis, & contra *atomos* ut principia & cauſas generationis & corruptionis, ergo (inquies) licet alii *atomos* admittant, non tamen admittunt *atomos Democriti* vel *Epicuri*, nec concedunt eas eſſe principia & cauſas rerum; ergo (inquam) Atomiſtis 1. probandum, quod ſint. 2. explicandum, quomodo & quatenus ſint rerum cauſæ, quorum neutrum ab eis expectans dum facile oſtenditur. Nam 1. ab atomiſtis ſemper petitur τὸ ἐν ἀρχῇ; hoc enim eſt τὸ χρῶμενον à quo principio, à qua virtute, potentiâ vel qualitate oriantur hi & illi effectus & operationes, nihil enim attinet dicere eas provenire ab atomis vel montibus, à corporibus parvis vel magnis; nam quæſtio non eſt de mole & quantitate corporis, ſed de virtute & principio activo; ut igitur atomorum effluviis aliquid aſcribatur, explicandum & demonſtrandum fuit 1. quare hæ & illæ, & non aliæ atomi effluant ab his & illis corporibus, potius quam ex aliis. 2. Quare his & illis, potius quàm aliis

ato-

atomis, insint hæ & illæ virtutes: & à quo principio oriantur. 3. Quæ & quid sint istæ virtutes quas atomis ascribunt; sed hæc non inquirenda, sed silentio involvenda censent atomorum patroni. Secundò corpora dura & compacta ex quibus ista minuta corpuscula non effluunt, suas habent proprietates, virtutes & operationes. Ergo istorum corporum effectus & operationes, non possunt ascribi atomorum effluviis. 3. Quid certius est quàm mista non resolvi in atomos insensibiles, sed eandem materiam sensibilem quæ fuit in corrupto manere in genito: Ergo mistorum generatio & corruptio, non poterit ascribi atomis. 4. Quando ex corpore tenui vel humido atomi effluunt, non tamen separantur, licèt enim à corpore à quo effluunt divellantur, tamen inter se conjungi appetunt, et atomi sicciores et duriores, ut terrei pulvisculi, quales in aere volitare conspicimus, nunquam sint adeo minuti, quin ex minimo aliquot forte *myriades* atomorum *Epicuri* extrahi possint, (nam *Charletonus* (qui *Archimedem* citat) contendit minimam particulam elementarem posse dividi in decem myriades atomorum.) Et sicciores istæ atomi non possunt uniri ad constituendum aliquod totum, nisi accedente humido ut glutine, imò et parte constituente, vacuitates (ut vulgò dicuntur) implente et occupante. 5. Influxus cœlestes, quos qui-

quibus idiota in se, suo horto, agris, latis, &c. percipit agnoscere non possunt, nisi dixerint astra esse corruptibilia imo & generabilia: nam nisi loco atomorum effluentium continuo aliquid adjiciatur, fingantur quantavis magna, tamen multis ante annis in atomos resoluta fuissent: hinc atomistæ omnia naturæ *Phænomena* ab influxu cælesti pendentia (quæ quam plurima, varia & maximè insignia sunt,) obscurant evertunt, et licet conspicua sint, negare tenentur ut illuminationem instantaneam vel brevissimo tempore factam, quinimo et productionem caloris, frigoris, odoris, aliarumq; qualitatum quæ producuntur, (sive univoce et à qualitatibus ejusdem naturæ, sive æquivoce a qualitatibus vel principio, in quo eminenter continentur,) sine ullis atomorum effluviis; et in corporibus solidis, in quæ sine dimensionum penetratione ingredi non possent atomi, licet minimæ. 6. Omnes atomi, vel sunt ejusdem naturæ & virtutis, vel diversæ: si ejusdem ergo. 1. nullus esset conflictus et pugna atomorum, (nam simile non agit in simile) et nihil ex eis generari poterit. 2. Nulla poterit esse diversitas in mistis, (nam si partes componentes sunt eædem etiam et tota et composita) et nulla perfectio, vel qualitas oriri poterit ex earum permistione, et quælibet pars esset ejusdem rationis, perfectionis, et virtutis ac totum et corpora compactiora

ora et duriora, essent perfectiora et magis activa et plurium virtutum, quam tenuiora et subtiliora: cum solidiora plures atomos contineant vel potius (sed Atomistis optio concedatur) erunt minoris virtutis, cum pauciores atomi ex eis effluant. Secundo si atomi sint diversæ rationis, naturæ, perfectionis & virtutis, explicandum ex quo capite oriatur ista diversitas, & Peripateticorum qualitates in se vel in effectibus conspicuæ agnoscendæ sunt deinde si sint diversæ, ergo in minimo pulvisculo sunt multæ *myriades* diversarum naturarum & virtutum, *viz.* pro numero atomorum. 3. Si sint diversæ, ostendant unde oriatur hæc diversitas, si inter Philosophos numerari velint. 7. Atomi vel sunt Sphæricæ vel angulares, si Sphæricæ non poterint uniri, nec unum continuum constituere, nisi totum sit instar cribri. Si angulares, ergo anguli poterint amputari sicq; atomi seu corpora indivisibilia essent divisibilia. 8. Isti atomi naturaliter vel exigunt uniri vel separari, si uniri, quid impediret perpetuam eorum unionem? si separari a quo & per quid poterint uniri, cum atomis omnia accepta referant: 9. Atomi ab elementaribus particulis diversæ, naturaliter vel tendunt in eundem locum, vel in diversa: si in eundem, quæso, dicant quis & ubi sit iste locus; si singulæ habeant suum locum proprium, quot *myriades* locorum postulabut atomi in minimo pulvis-

viſculo. 2. Explicandum unde oriatur iſta diverſorum locorum exigentia, & per quas cauſas & principia ferantur in ſua loca, gravitas enim eſt principium motûs deorſum, ut & levitas motus ſurſum; ſed quis *Oedipus* ſingulis atomis proprium & particulare principium motûs, in ſuum proprium locum aſſignabit?

Quamvis *atomiſtæ* & *Carteſiani* inter ſe multum diſſentire videantur, tamen ſatis concordes ſunt ſicq; licet *Carteſius* defendat Mathematicum continuum diviſibile in ſemper diviſibilia, tamen mira aſcribat particulis inſenſibilibus, unde *Charletonus* non ſolum pleno ore *Carteſium* laudat, ſed etiam ipſius argumento pro atomis contendit, & atomiſtæ non ſolum cum Carteſianis conſpirant ad convellenda inconcuſſa Phiſoſophiæ principia, ipſam naturam evertendam, & omnem cauſalitatem creaturis eripiendam; ſed etiam in numero, poſitura & figura atomorum myſteria venantur, & cum hi tum illi, ſuos ſchematiſmos prædicant, &, neſcio quam magicam virtutem eis attribuunt.

FINIS.

Candide Lector,

Cum per Authoris à prelo diſtantiam, & Autographi nonnullis in locis ἀδηλότητα, Typothetæ nonnunquam hallucinati ſint in punctis notuliſve, ſortè & in vocibus, præſertim verò in locorum Citationibus; ingenuè rogatus es, ne tanti operis Authorem de Erratis damnes: ſequentia corrige.

Emendanda & addenda in Idea.

PAg. 2. lin. 4. leg. *autem.* p. 3. l. 21. leg. *natura* p. 6. l. 2. leg. ὑφ' ἑτέρε. p. 11. l. 24. leg. *ſublunarium.* p. 12. l. 2. leg. *apparet* & l. 3. leg. *ſed* p. 33. l. 7. leg. *anguſtioris.* p. 142. l. *ult.* dele *Phyſico.* p. 46. l. 5. leg. *neceſſario.* p. 47. l. 13. leg. imaginario. p. 55. l. 15. leg. *Arriagam.* p. 56. l. *ult.* leg. *alias.* p. 57. l. penult. leg. πνευμαλωγικὰς. p. 61. l. 22. poſt hæc verba *ſit hæc.* adde *aſſert.* 1. p. 64. l. 2. leg. materia.

In Anatome.

PAg. 1. l. 19. leg. *thronum.* p. 3. l. 9. l. Sec. p. 4. in marg. ad l. 17. adde, *exegeticum enim τὸ, ſeu non eſſe adjicitur non argumento, ſeu priori proceſſui, ſed confirmationi, quæ eſt ſyllogiſmus virtualis non abſimilis Carteſiano med.* 5. p. 66. & ibid l. 21. leg. ridiculam & l. 28. *l. ſcilicet.* p. 5. in marg. l. 1. *L. Sect.* p. 6. l. 20. *L. oppoſito.* p. 7. l. 7. *L. quæritur.* p. 8. l. 29. *L. hæc.* p. 9. l. 1. leg. *Sext.* ibid. l. 24. *L. contra.* exiſtentiam. p. 13. l. 11. l. 25. & in marg. *L. Sec.* p. 14. in marg. leg. quæſt. p. 20. l. 7. l. *eo* p. 23. l. 11. leg. *alias* & ibid. l. 17. leg. *famoſus ſyllogiſmus.* p. 24. l. 19. lege κοιναὶς ἐννοίας p. 26. l. 13. leg. *alteratio.* p. 27. l. 10. leg. *imaginari.* p. 31. l. 22. leg. ἄρρησις. ibid in marg. dele & p. 32. in marg. leg. *unquam* ibid. l. 15. dele &c. & adde *vel ſtellarum fixarum (non eſt enim hujus loci inquirere quot ſunt cæli, vel utrum ipſi an ſtellæ in ipſis moveantur)* p. 35. l. 8. poſt hæc verba & *evidentiam* adde *ſuorum ſomniorum, an prius certitudinem & evidentiam* p. 37. l. 10. leg. *poſſumus.* p. 39. l. 21. leg. *marinam.* p. 43. l. 27. dele *vel* ibid. l. 28. leg. *naturalem figuram (licet forte artis directione impreſſa fuerit)* p. 46. in marg. leg. *Mathematicorum* p. 50. l. 12. leg. *pacto.* p. 53. l. 15. leg. *huic.* p. 60. l. 8. leg. *attributa.* ibid. l. 21. leg. *ob. defectum termini ad quem.* p. 61. l. 1. leg. *evidentiſſime* p. 62. l. 8. leg. *conſequentiarum.* p. 86. l. 22. leg. *quo.*

Anatome Carteſianiſmi,

PARS PRIMA,

CARTESII

Speculationes

METAPHYSICAS

COMPLECTENS.

Studio

Alexandri PITCARNII,

Philoſophiæ quondam Profeſſoris.

LONDINI,

Excuſa impenſis *Thom. Parkhurſt*, ad Inſigne Bibliorum & trium Coronarum juxta *Sacellum Mercatorum* in vico vulgo vocato *Cheapſide*. MDCLXXVI.

Anatome Cartesianismi,

PARS PRIMA,

CARTESII

Speculationes

METAPHYSICAS

COMPLECTENS.

Studio

Alexandri PITCARNII,

Philosophiæ quondam Professoris.

LONDINI,

Excusa, impensis *Thom. Parkhurst*, ad Insigne Bibliorum & trium Coronarum juxta *Sacellum Mercatorum* in vico vulgo vocato *Cheapside*. MDCLXXVI.

Anatome Carteſianiſmi.

Sect. I. Carteſii Achilles cum dedecore exauctoratus, ducem conficit & armis exuit.

Art. I. Achilles, ad partes vocatur, & ut perfidus, ac ignavus miles expungitur.

Sect. 1. CArteſium cum Cæſare Vanino, atheiſmi patrono (qui publicè Toloſæ combuſtus eſt, non ſolùm quòd atheus eſſet, ſed quod Atheiſmi venenum aliis affricare ſtuduerit;) paria facere, & iiſdem artibus Atheiſmum ſubdolè diſſeminare, variis indiciis oſtendere conatur clar. D. *Sebookius*, imprimis, quòd ut hic, ita & ille ſpecioſis verborum ampullis Atheiſmi ſuſpicionem à ſe avertere laboraverit, quando in imperitorum animis Atheiſmi thonum erigere conabatur; ut enim Carteſius, ita & Vaninus Atheis bellum indixerat & contra

Acur. meth. nov. Phil. præf. & ſect. 4. cap. 3.

eos disputaverat, & editis libris scripserat, sed ut hic, ita & ille, submotis argumentis solidis & nervosis, straminea & infirma substituebat: quo autem animo scripserat Cartesius, non inquiro, sed quo argumento contra Atheos contendat jam despiciendum; cum enim nihil magis veritatem suspectam, aut præjudiciis ac adversariorum insultationi, ac irrisioni obnoxiam reddat, quàm statuere eam argumento infirmo niti, illúdque ut Achilleum & irrefragabile jactare; quis igitur æquo animo ferat Cartesium dictitantem non alio argumento nisi triviali sophismate, multis retrò seclis scholis exulare jusso, cum Atheis decertandum esse? meminit, fateor, unius, aut alterius argumenti ab idea Dei in intellectu nostro existentis, & à nostra indigentia causæ conservantis, de quibus sect seq. Sed hoc primò & præcipuè urget, sæpiùs repetit, & diversimodè proponit.

Sect. 2. Nunc igitur in aciem prodeat hic Cartesii Achilles sic med. 5. pag. 66. seq. instructus, *Non magis potest existentia ab essentia Dei separari, quam ab essentia trianguli tres anguli æquales duobus rectis, sive ab idea montis, idea vallis: adeo ut non magis repugnet cogitare deum,* (hoc est ens summè perfectum) *cui desit existentia, quàm cogitare montem, cui desit vallis, &c.* Existentiæ enim Dei necessitas me determinat ad hoc cogitandum

Forte legendum esse *non minus.*

dum, neque enim mihi liberum eſt Deum abſque exiſtentia cogitare.) Reſp. ad prim. Object. pag. 124. iſtiuſmodi perſonam induit, *Quod clare & diſtincte intelligimus ad alicujus rei eſſentiam ſive formam pertinere, id poteſt de ea re cum veritate affirmari; Sed clare & diſtincte intelligimus ad Dei eſſentiam pertinere, ut exiſtat; Ergo de Deo cum veritate affirmari poteſt quod exiſtat*; & poſt reſp. ad ſect. object. pag. 186. hunc vultum præfert. *Idem eſt dicere aliquid in rei alicujus natura ſeu conceptu contineri ac dicere id ipſum de ea re eſſe verum; Atqui exiſtentia neceſſariò in Dei conceptu continetur; Ergo verum eſt dicere neceſſariam exiſtentiam in Deo eſſe; ſive ipſum exiſtere.* Hoc ſophiſma, 400. & pluribus antè annis vidit, & explosit *Aquinas*, & licèt in omne latus ſe vertat Cart. in eo exornando, ipſi primæ vum vultum & veterem pulchritudinem reſtituere non potuit; ſed ægrè fert authorem primarum objectionum, ipſius Achillem, cum triviali hac argutia confuliſſe; & craſſam ignorantiam, & ſtupendamimpudentiam & ſuperbiam prodit, ut ſe iſtius ſophiſmatis architectum oſtentet, diſſimulare enim non potuit illud *Thomæ* eſſe tritum et antiquum, ſed negat *Thomam eo uti, ut ſuo*; Ergo (inquam) fuit *Thoma* antiquius. 2. Ergo impudenter negat Cart. ſe ulla in re à *Thoma* diſſentire, cum

pag. 104.

pag. 123, 124.

hunc ſpurium incerto patre natum adeptet, quem *Thomas* hoſpitio extruſit: deinde addit, *argumentum* Thomæ, *aliud concludere quam ſuum, & in forma peccare*, ut oſcitantiam Carteſii (qui quicquid dicat nihil penſi habet) oſtendam, ipſum *Thomam* argumentum Carteſii contra ſuam ſententiam objicientem audiamus; *illa dicuntur per ſe nota, quæ ſtatim cognitis terminis cognoſcuntur; ſed intellecto quid ſignificat hoc nomen Deus, ſtatim habetur quod* Deus eſt, *ſignificatum enim hoc nomine, id quo majus cogitari non poteſt; majus autem eſt eſſe in re quam non eſſe, ſeu eſſe in intellectu tantum*; (*addit* Thomas *magis eſſe in re & intellectu quam ſolum in intellectu, quod* (*quatenus addit* τὸ *eſſe intellectu,* τῷ *eſſe in re*) *cum parum argumento conferat miſſum facio*) *Ergo Deum eſſe, eſt per ſe notum*, nullum verbum addidi, & quis non videt nullum in formâ eſſe vitium; ſed quod in confirmationem minoris adduxit *Thomas*, loco minoris ſubſtituit Carteſius; & neſcio quàm ridiculum concluſionem huic intulit: quam oſcitantiam magis miraberis, quod hæc ſcripſerat poſtquam autor primarum objectionum, hoc *Thomæ* argumentum ſimul cum ſua confirmatione in forma ſic propoſuit; *Deus eſt quo magis ſignificari non poteſt, Sed illud quo majus ſignificari non poteſt includit exiſtentiam; Ergo Deus* (*ipſo ſic licet nomine & concepto*) includit exiſtentiam, ſeu ſine exiſtentia concipi non poteſt; *nunc* (inquit) *ama-*

b 9

hoc vox nunquid ipsum hoc argumentum est D. Cartesii? cumque res ipsa loquatur, frustra consensum commentatorum perferrem, unum *D. Bannez* citasse nunc sufficiat; *illud* (inquit) *est per se notum, quod nemo potest negare; Sed nullus potest cogitare* Deum non esse; Ergo est per se notum; prob. min. Nulla res potest intelligi cum oppositio ejus quod est de ipsa quidditate; Sed esse est de quidditate & essentia Dei; Ergo nullus potest negare Deum esse, nisi ignoret quid importetur per subjectum seu vocem Deus, nam Deus est id quo melius excogitari non potest, sed illud est melius de quo non possumus cogitare quod non sit, *&c. Confirm.* Deus intelligitur a nobis sicut quid perfectissimum omnium; Sed id quod est, perfectius est quàm id quod *non est*; Ergo non possumus cogitare de Deo cum assensu, quod non sit, nam si concipiemus Deum non esse, quomodo summam perfectionem ei tribueremus? Nunc judicet lector utrùm Cartesius, an alii hoc sophisma nervosiùs formârunt; licet ille ut suum & firmam demonstrationem ostentet, illúdque ita exornet ut ipsius antagonistæ negare non possint, ipsum semel argumentum formâsse, licet argumenti nec formam nec materiam proferre soleat; sed fictis hypothesibus quibuscumque similibus obtorto collo applicatis,

Ban in loc. 3. arguitur, 3.

Sect. confirmatur 2.

loco ſolidarum rationum paſſim utatur.

Sect. 3. Sed jam deſpiciendum, quid reſpondeat *Aquinas*, 1. negat omnibus notum eſſe, per hoc nomen *Deus* ſignificari aliquid, quo majus cogitari non poteſt, cum quidam crediderint Deum eſſe corpus. 2. (inquit) licèt agnoſcant omnem perfectionem, adeóque & exiſtentiam per hoc nomen importari; *non tamen propter hoc ſequitur, quod credant id quod ſignificatur per nomen, eſſe in rerum natura, ſed tantum in apprehenſione; nec poteſt argui quod ſit in re, niſi daretur quod ſit in re aliquid quo majus cogitari non poteſt, quod non eſt datum a ponentibus Deum non eſſe.* Reſp. Ban. loc. cit. *Sect.* ad 3. Bannez. *nullam rem poſſe intelligi cum oppoſito ejus quod eſt de ejus eſſentia, ab eo qui intelligit quid res illa ſit, cæterum cum naturaliter non cognoſcatur quid ſit Deus, poſſumus intelligere Deum, cum oppoſitio ejus, quod eſt de ſua quidditate & eſſentia.* Nos itaque reſpondemus, eſſe elenchum a petitione principii; cum Carteſius ſuo more ſupponat, id quod probandum foret, & quod in queſtionem vocatur, ſupponit enim ille exiſtentiam eſſe de eſſentia Dei, quando diſputat contra Atheos negantes Deo exiſtentiam competere. Dices hoc verè ſupponi, ſed contra, nihil ad Rhombum, ſive verè, ſive falsò, cum jam res ſit cum iis qui hoc negant; non eſt ſupponendum ſed aliundè probandum dices,

tenentur

tenentur hoc non negare. Resp. Sive teneantur, sive non, certum est, quod omnes Athei de facto negent, & contra eos jam disputatur, non possint (inquies) hoc negare; Ergo (inquam) non possunt esse athei, & frustra contra eos disputas; dices ergo non formatur perfecta idea ejus de quo queritur. Resp. Nec mirum, cum de non minima illius perfectione, *viz.* existentia, inquiratur.

Sect. 4. 2. Hoc, ut & alia Cartesii argumenta, falsâ suppositione niti apparet; nisi enim contra rationem, experientiam & unanimem consensum scholasticorum supponamus; in 2. q. 2. art. 1. omnes perfectiones divinas esse per se, & naturaliter notas; quâ rationis sobrietate contendere poterit, existentiam Dei non posse ab Atheis in controversiam vocari? Sed amabò te Cartesi, rationem reddas cur Vorstiani possent negare & oppugnare divinam immensitatem, immutabilitatem, & omnipotentiam; Sociniani præscientiam, Anthropomorphitæ spiritualem naturam, *&c.* Si athei non possent negare existentiam Dei, an existentia est magis (ut ita loquar) essentialis Deo, quam immensitas, potentia, *&c.* quin imo ex immensitate potentiæ existentiam Dei probandam esse contendit. Resp. ad prim. object. pag. 119. & resp. quart. pag. 274. *putat omnibus manifestum esse, considerationem causæ efficientis esse primum*

&

& præcipuum, ſi non unicum medium quod habemus, ad exiſtentiam Dei probandam, ubi infert, *Deum poſitive ſe efficere & conſervare*, quod nullo ſeſamo condiri poterat, ut non fœteat, & palato hominis ſobrii, nedum Chriſtiani ingratum non ſit, ſed hic ἀβλεψίαν & oſcitantiam theologorum obſervare licet, qui cum juxta methodum Carteſianam, uno ariete, omnia Socinianorum, Vorſtianorum, *&c.* Munimina concutere & evertere potuerint, fruſtra in tot argumentis colligendis deſudârunt; quid plura? Immenſitas, ſimplicitas, omnipotentia, præſcientia, *&c.* continentur in conceptu entis perfectiſſimi; Ergo de eo negari non poſſint, hæc licèt verè contineantur in conceptu entis perfectiſſimi, & licèt ex conceptu eſſentiali rei, rectè arguatur contra eos qui fatentur rem eſſe & exiſtere; ſicque hoc pacto orthodoxi rectiùs arguerent contra iſtos hæreticos, quàm Carteſius contra Atheos negantes ens perfectiſſimum exiſtere vel exiſtere poſſe; non tamen ſiſtunt orthodoxi in ratione petitâ ab eſſentiali conceptu entis perfectiſſimi? Sed ex Scripturis & ratione oſtendunt, Deum eſſe ens perfectiſſimum, & perfectiones immenſitatis, omniſcientiæ, omnipotentiæ, *&c.* ei verè competere; ſed quis ſobrius negabit, nos poſſe de unâ aliquâ rei perfectione diſputare, quamvis hæc, non minùs quàm aliæ, in quidditativo illius conceptu contineatur; unde ſui Achilles

oblitus

oblitus: Resp. sept. pag. 492. fatetur nos posse præscindere & abstrahere unam formalitatem ab alia, cum qua identificatur, & exempli loco addit, *ut sane* (inquit) *immensitas Dei potest intelligi, quamvis ad ejus justitiam non attendatur; potestque etiam existentia Dei recte cognosci, quamvis personæ Sacro-Sanctæ Trinitatis ignorentur, quamvis inter ipsas non sit realis distinctio ratione essentiæ.*

Sect. 5. 3. Existentia non magis dici poterit, esse de essentia Dei, quam reliqua attributa divina quæ logicè & metaphysicè ab ea distinguuntur, & simplici mentis apprehensione ab ea abstrahi possunt, ita ut unum sine alio concipi & intelligi possit, ut Cartesium fatentem audivimus; est quidem essentia cujuslibet rei in re eadem cum existentia, potest tamen essentia ab existentia abstrahi, sed cum implicet Deum non existere, hinc speciali ratione dicitur existentia esse de essentia Dei, quod non est intelligendum logicè sed physicè: quia *viz.* in re separari non possint, licet objectivè, & in intellectu possunt, cumque ab intellectu concipi possit essentia, non conceptâ existentiâ, hinc Athei existentiam Dei disputant, nec Cartesianâ methodo refutari poterint:

Sect. 6. 4. Quoniam exemplis loco demonstrationum (& si ex mathematica petantur, crepat se mathematicè demonstrasse) contendat, non alio quàm quod ab ipso profertur, jam utemur,

mur *quemadmodum* (inquit) *eſt de eſſentia trianguli, quod habeat tres angulos æquales duobus rectis, ita & de eſſentia Dei eſt, quod exiſtat.* Sed (inquam) quòd de eſſentia trianguli, ſint tres anguli æquales duobus rectis, non eſt per ſe notum; & peritiſſimis mathematicis non innotuit, donec *Pythagoras* Samius è tenebris (in quibus ſemper jacuit) in lucem vocavit, qui quando hanc obſcuram propoſitionem reperit, *tantis (ut ait Fournier) elatus eſt lætitiis, ut Muſis centum boves immolarit.* Et inventum non alia ratione demonſtrare potuit *Euclides elem. 2. prop. 32.* niſi quia producto uno latere, angulus externus eſt æqualis duobus internis; quæ ſi in modo & figurâ extruatur, advocandæ ſunt propoſitiones nondum inventæ, ut evidentibus præmiſſis conſtet; eat igitur, & larvâ demonſtrationum mathematicarum ſciolis imponat, dic ſodes mi Carteſi ſi *Pythagoras* iſte tuo contra Atheos argumento hanc propoſitionem diſcipulis ſuis demonſtrare conatus ſuiſſet; quòd *viz.* de eſſentia trianguli eſſet, quod habeat tres angulos æquales duobus rectis, an non Sardonico riſu illum excepiſſent?

Præf. in Elem. Eucl.

Sect. 7. 5. Moneo exiſtentiam non eſſe ſpecialem aliquam perfectionem, ſed quid omnibus imò & ipſi eſſentiæ commune, unde inquiri poterit an hæc uni alicui perfectioni vel an omnibus conveniat, vel non conveniat, & hoc

eſt

eſt quæſitum, quando contra Atheos diſputatur; inquiritur enim an infinitis perfectionibus, quæ enti infinito convenire imaginamur, conveniat exiſtentia? Seu an ſit & exiſtat illud ens primum & perfectiſſimum? Seu quod idem eſt, an iſtæ infinitæ perfectiones, verè & re ipsâ conveniant alicui enti quod Deum appellamus? Nam Deum exiſtere, eſt infinitas perfectiones in aliquo reperiri; unde, ut monui, exiſtentia non eſt tam ſpecialis aliqua perfectio, quàm veritas, & realitas omnium; adeóque de una & omnibus inquiri poterit; ſed Carteſius fingit Atheos quaſi mentis alienatione laborantes, negare id exiſtere, in cujus primo & eſſentiali conceptu exiſtentiam includi fatentur; ſeu negare id exiſtere, quod agnoſcunt non poſſe non exiſtere.

Sect. 8. Dices queſtionem moveri de ente perfectiſſimo, Ergo de ente includente omnes perfectiones, Ergo & exiſtentiam quæ eſt prima, & quaſi eſſentialiſſima perfectio, ſine qua omnis alia perfectio nulla eſt. Reſp. Atheos nullam perfectionem divinam concedere, cum enim exiſtentiam negent, nullam (ut monui) agnoſcere poſſunt; adeóque de omnibus diſceptatur, quando de hac ſolâ directè & expreſsè; non itaque concedunt dari aliquas perfectiones divinas & infinitas, ſed quærunt, an infinitæ perfectiones, quas imaginamur, verè conveniant alicui enti? Seu an exiſtat ens illud perfectiſſimum?

mum? licet itaque loquantur Athei de Deo & ente perfectiſſimo, ejúſque infinitas perfectiones mente apprehendant, non tamen ſequitur has perfectiones verè & actu eſſe & primo enti convenire, & hîc opportunè obſervandum, ipſum Carteſium quando examini ſubjicit ſuum hoc argumentum ut ab Aquinate propoſitum, omnes nervos iſtius Sophiſmatis incidere, *concludi* (inquit) *tantum debuiſſet, Ergo intellecto quid ſignificet hoc nomen Deus, intelligitur ſignificari Deum eſſe in re, ſeu exiſtere*, & ſic nihil concludi autumat, *quia* (inquit) *quod verbo ſignificatur, non ideo apparet verum.* Sed (inquam) per accidens eſt, ſive verbis, ſive conceptu ſignificetur & repreſentetur; Ergo ſive hoc, ſive illo modo repreſenterur, non ſequitur ita eſſe in re; Ergo licet concipiamus exiſtentiam Dei eſſe neceſſariam, & de ipſius quidditate; inquirendum eſt an iſte conceptus ſit conformis rei? & num exiſtentia Deo verè conveniat?! At poſito ſemel quòd exiſtat, facilè probari poterit quòd ſemper & neceſſariò exiſtat, ſeu non poſſit non exiſtere, ſolidiori argumento quàm hoc Carteſii; *viz.* quia ſi ſemel non fuiſſet, a nullo potuiſſet habere eſſe, non ab alio ut conſtat, nec a ſe, quia quod non eſt, non poteſt dare ſibi vel aliis eſſe ſeu aliquid cauſare; ejuſdem commatis eſt & Phylacterium quòd ſuo huic paralogiſmo aſſuit.

Loc. cit. pag. 124.

Reſp.

Reſp. ſect. pag. 124. quodque ex ſuo πολυθρυλλητῷ *quod clare & diſtincte percipio, neceſſario eſt verum* intulit; & nos inde Carteſianam demonſtrationem irrefragabiliter retorquemus ſic, quod clarè & diſtinctè percipimus, neceſſariò eſt verum; ſed clarè & diſtinctè percipio Atheos, clarè & diſtinctè non percipere eſſentiam Dei, nec quod ad illius eſſentiam pertineat quod exiſtat; alioqui ipſum exiſtere negare non poterint; nemo enim ita deſipuit ut negaret id rei convenire, quod ſcit & agnoſcit eſſe ei eſſentiale; Ergo verum eſt Atheos clarè & diſtinctè non percipere ad eſſentiam Dei pertinere quòd exiſtat, Ergo corruit Carteſii demonſtratio quæ principio huic oppoſito nititur.

Med. 5. pag. 71. reſp. prim. pag. 125. & alibi paſſim.

Reſp. ad ſect. object. pag. 122. fatetur. *Se cum omnibus Theologis concedere Deum ab humana mente capi non poſſe.*

Sect. 9. 6. Tandem licèt largiamur Carteſio & illius alumnis Atheos ſupponere exiſtentiam eſſe de quidditate & eſſentia Dei, juxta placita Carteſii facile Carteſianæ demonſtrationis laqueos declinare poterint cum poſt ſect. reſ. axi. 10. fateatur, *in omnis rei idea ſeu conceptu contineri exiſtentiam quia* (inquit) *nihil poſſumus concipere niſi ſub ratione exiſtentis; Sed in conceptu rei limitatæ continetur exiſtentia poſſibilis*, vid. etiam reſp. prim. pag. 125. nobis verò videtur eſſe

esse repugnantia in adjecto dicere *existentiam possibilem*, omnes enim concipiunt existentiam esse actualitatem rei, qua intelligitur posita in rerum natura & extra causam, si ullam habeat, & sit quid creatum: sed Cartesio respondebunt Athei se fateri existentiam possibilem esse de essentia Dei (ut blasphemè loquuntur) imaginarii & se negare existentiam actualem ei competere.

Sed missis Cartesianis hypothesibus respondebunt existentiam objective & in actu signato (ut loquitur Cajetanus respondens huic argumento cum Aquinate). Deo attribui quando desceptatur, utrùm physicè & in actu exercito ei conveniat.

In 1. quest. 2. art. 1.

Sect. 10. Quocunque igitur se vertat Cartesius hoc trito Sophismate nihil proficiet; melius igitur suis rebus consuluisset, si in dubitatione, quam non dissimulat semper mansisset, *neque* (inquit) *diffiteor hoc argumentum tale esse, ut qui non omnium quæ ad ejus probationem faciunt, recordabuntur* (hæc omnia satis superque perpendimus & frivola esse comperimus) *facile illud pro sophismate sunt habituri, & ideo me initio non nihil dubitasse, an illo uti deberem, ne forte iis, qui ipsum non caperent, occasionem darem de reliquis etiam diffidendi*, detectâ igitur imbecillitate istius paralogismi

Resp. prim. p. 139.

post-

posthac diffidite Cartesii Alumni reliquis præceptoris vestri argumentis & hypothesibus: & fortè non malè ominatus est *Renatus*, maxime si hoc ipso infirmo sophismate everstantur omnes ipsius hypotheses, ita ut non sit nuda & indirecta occasio, sed causa directa & per se non solùm diffidendi, sed & fastidiendi omnia ipsius philosophemata & an verum de hoc omine ominemur sequenti articulo constare poterit: hîc tantùm moneo Cartesium non consuluisse Aquinatem (quem ab alio citatum non intellexerit, vel (ut ostendimus) se intellexisse dissimulaverit) sed abundè hoc sophisma mutuatum fuisse, alioqui sequens non minùs validum, sed ejusdem commatis non suppressisset, quod est hujusmodi *veritatem esse, est per se notum (& si quis negaverit veritatem esse, fatèatur oportet saltem hoc verum esse, nullam dari veritatem.) Deus autem est ipsa veritas*, Jo. 14. 6. *(veritas enim non minus quam existentia includitur in conceptu entis perfectissimi) Ergo Deum esse est per se notum.*

Sect. 11. Sed objicit vir Doct. Deus est ens summè perfectum, non enim dubitatur quid sit sed, an sit seu existat Deus; Ergo

Quo autore diatriben hanc conscripsi; cum enim virum disertum acutèhoc sophisma urgere audiveram, omnes istius argutiolæ nervos incidere, & singulos apices excutere statueram; nec ad alia Cartesii somnia ventilanda progredi tunc in animo habebam: & hinc ratiocinii methodi & titulorum pete.

in ambitu ſuo comprehendit omnes perfectiones adeóque & exiſtentiam. Repl. Si nemo dubitat quod ſit Deus, nulli ſunt vel fuerunt Anthropomorphitæ, Antitrinitarii, &c. vid. Sect. 4. 2. Athei non dicunt *Deus eſt ens ſumme perfectum*, ſed *ſi Deus eſſet, eſſet ens perfectiſſimum*, Ergo prius probandum eſt eſſe, quàm quale ſit inquiras (ſaltem priuſquam ſupponas eſſe perfectiſſimum) nam quod non eſt, nulla perfectio ei convenit; adeòque quando quæritur de exiſtentia, de realitate omnium perfectionum inquiritur, ut jam jam oſtendi, ſed quoniam ſub notione *entis perfectiſſimi* ſeu *ſumme perfecti* latitare cupiunt Carteſiani, hanc latebram ipſius præcludam: quando itaque Athei inquirunt an ſit Deus, quærunt an ſit Creator & Rector mundi, & ideo inquirunt an detur ens perfectius elementis, brutis, hominibus &c. Facilè enim concederent Creatorem eſſe creaturis perfectiorem nihilominus multas perfectiones ipſi præripere poſſunt, quemadmodum qui dixerunt ſolem, lunam & aſtra eſſe Deos, ſpiritualem naturam, Vorſtiani ſimplicitatem, omniſcientiam & omnipotentiam ipſi præreptam velint: & fruſtra Carteſiano argumento contra eos contenderetur, quòd *viz.* in conceptu entis perfectiſſimi iſtæ perfectiones contineantur, cum non aliâ ratione Deum eſſe perfectiſſimum admittant, niſi quia contineat perfectiones quas ipſi convenire credunt, quæ cum ſunt ſupra perfectiones aliarum

rerum,

rerum, hinc statuunt eum esse perfectissimum, cúmque ex conceptu entis perfectissimi convinci non possunt hæretici fatentes Deum esse, quâ rationis sobrietate credendum Atheos hoc ariete concutiendos? Nullam enim perfectionem Deo convenire credunt; Ergo frustra contra eos arguitur à notione perfectionis: in idea itaque Dei includitur omnis perfectio apud sapientes & orthodoxos, sed non apud ignavos hæreticos & Atheos.

Sect. 12. Regerit Vir Doct. Existentia tam includitur in idea Dei, quàm tres Anguli in idea trianguli (seu quod habeat tres angulos æquales duobus rectis) & vallis in idea montis. *Repl.* Cogor rursus monere ignorationem terminorum Cartesianis imponere; si *Schoolio* monenti auscultassent, & Lexicon Goclenii consuluissent, si distinctionem inter essentiam & proprietates, inter essentiam & existentiam calluissent, Sophisma hoc cum instantiis morose urgere desiissent & quî potuit vir Doct. Uti exemplo trianguli a nobis confutato & retorto, *Sect.* 6. & dissimulare quæ a nobis objecta sunt? Sed quia cum præceptore sæpius meminit trianguli habentis tres angulos æquales duobus rectis & montis cum valle, iterum moneo ut distinguat inter essentiam & proprietates rei, inter rem & ejus connotatum; & jam addo non omne triangulum, sed solum triangulum rectilineum habere tres angulos æquales duobus rectis, & mons non solùm concipi, sed & esse potest sine

 valle;

valle; annihilatâ enim valle circumjacente, Caucaso conservato, erit nihilo minus mons Caucasus, & ascensum & descensum admittet; & licet pater non potest concipi sine filio, nemo tamen dixerit filium esse de essentia patris, ut neque scibile de essentia scientiæ; Athei itaque talem ideam Dei, in quâ includitur existentia, non admittent, alioqui Athei non essent.

Sect. 13. In conceptu (inquit Vir. Doct.) entis includitur existentia, nam ens definitur, Quod existit vel existere potest, & hoc est, quod ait Cartesius, nihil posse concipi nisi sub ratione existentis. *Repl.* Ergo 1 existentia non minùs est de essentia entis finiti quàm infiniti, & Cartesiano argumento licet concludere omnia possibilia actu existere cum existentia sit de conceptu omnis entis 2. Si nihil possit concipi nisi sub ratione existentis, Ergo chimæra non potest concipi, imò neque possibile; nam quod sub ratione existentis concipitur, actu datur, conceptus enim rei possibilis excludit existentiam. 3. Si ens sit (utait) quod tantùm potest existere; Ergo existentia non est de essentia entis, quia sic supponitur dari ens, cui existentia non conveniat, sed tantùm convenire potest, monui existentiam possibilem dicere repugnantiam in adjecto, quia omnes concipiunt *existentiam esse actualitatem rei, quæ intelligitur posita in rerum natura* qui itaque pro existentia possibili contendunt, ipsos terminos ignorant, & essentiam

essentiam cum existentia confundunt, nam existentia possibilis vel est chimæra vel ab essentia ne ratione (nisi forte ratiocinante) distinguitur, nec magis quam gladius & ensis, nam quid est essentia (loquimur de reali) nisi *quid capax existentiæ* & quid est possibilis existentia nisi *quid capax existentiæ*, viz. actualis, sed virum Doct. Rursus monitum velim terminum vel connotatum positum in definitione relati, vel connotantis non esse essentiale relato, vel connotanti, possibile itaque connotat existentiam cujus est capax, quæ tamen pro tunc, seu ei qua tali non convenit, tantùm abest, ut essentialiter conveniat.

Sect. 14. Ex Cartesianis itaque hypothesibus sic arguitur. Existentia est de essentia omnis entis (ut Vir. Doct. *sect.* 21. Cum præceptore dictitat) Ergo & chymæræ dices chimæram non esse ens reale. Contrà est tamen ens dicessed imaginarium & fictum; Ergo habet existentiam imaginariam, fictam & impossibilem. Contrà existentia ficta non est existentia nec dicendum est chimæram existere, sed existere non posse, at juxta Cartesianam Metaphysicam sic arguitur. Id quòd ponitur in definitione rei est ei essentiale, sed existentia ponitur in definitione chimæræ imo sine (a definiri non potest) quid enim est chimæra nisi *cujus prædicata cum existentia (vera scilicet & reali) complicari non possunt?* Ergo vera existentia est de essentia chimæræ. 2. Non dissimulandum est Atheos similiter

blaſphemando blaterare exiſtentiam impoſſibilem eſſe de eſſentia imaginarii entis perfectiſſimi, & non licere argumentari ab exiſtentia imaginaria & impoſſibili ad exiſtentiam veram & actualem.

2. Sic, quod hirco cervo eſt eſſentiale vere de eo affirmari poteſt ſed hircus & cervus ſunt ei eſſentiale, utpote partes eſſentialiter componentes; Ergo verè de eo affirmari poſſunt; Ergo ens reale verè de eo affirmari poteſt: hircus enim eſt ens reale, ſimiliter & cervus.

Vel 3. Sic. Sed compoſitio ex hirco & Cervo eſt ei eſſentialis; Ergo verè de eo affirmari poteſt, ſeu ergo componitur, ex hirco & cervo, ergo eſt vera & realis compoſitio & non chimærica & impoſſibilis. Hinc claret hanc propoſitionem *quod aliquid eſt eſſentiale vere de eo affirmari poteſt* accipiendum eſſe non abſolute ſed hypothetice & ſub hac conditione. *Si res ſit & exiſtat* alioqui nihil vere actu & abſolute de eo affirmari poteſt, quod enim non eſt, nec eſt ſubſtantia nec accidens; non entis enim ut nulla ſunt accidentia, ita nec attributa, ut enim æternam obtineat veritatem hæc propoſitio *homo eſt animal* non habet ſenſum abſolutum, *quaſi ab æterno fuiſſet homo vel aliquid cui vere conveniret animalitas*. ſed ſenſum habet hypotheticum *ſi ſit homo eſt animal, non poteſt eſſe homo niſi ſit animal*, & ex hoc axiomate cum hac limitatione nihil concludi poterit contra Atheos

qui

qui negant Deum existere: & argumenta proposita facilem habent solutionem, nihil enim vere & absolute de chimæra affirmari poterit, cum vere non sit, nec esse possit; sed sciolis in hoc ut in aliis apicibus imposuit, quod sensum propositionum essentialium non intellexerunt, Cartesianorum enim ignorantia pravæ dispositionis oritur ex ignorantia puræ negationis, non obstantibus ipsorum insitis ideis.

Sect. 15. Realitas (inquit Vir. Doct.) omnium perfectionum est in conceptu entis perfectissimi; Ergo & existentia. *Repl.* piget me referre blasphemas Atheorum hypotheses, sed cogit Cartesianorum impudentia. Athei itaque dicerent realitatem perfectionum esse in conceptu Dei, si daretur, sed si sit tantum in conceptu & apprehensione, ut imaginantur, negabunt realitatem ullius perfectionis ei convenire, vel dicerent imaginariam realitatem perfectionum convenire enti perfectissimo imaginario; inde sic arguerent, quod rei non convenit non est de ejus conceptu, sed nulla realitas rei imaginariæ convenit, perridicula itaque videtur argumentatio viri docti. Quæritur enim an detur ens summè perfectum & cui existentia sit essentialis & vir doct. probat dari ens cui existentia sit essentialis, quia existentia est ei essentialis, sicque probat idem per idem, necesse enim est, ut contra Atheos aliunde probet ens summè perfectum existere, sicque ex-

 istentiam

istentiam ei convenire, & hoc semel posito, poterit inquirere an essentialiter conveniat, dices ens *infinitum* includere omnes perfectiones *Resp.* Hoc non admittent Athei, nec qui pro possibilitate corporis infiniti extensi contendunt quod actu dari statuere videtur novatorum *Pythagorae*; si dixeris cum *Spinoza* Cartesium tantùm velle materiam esse indefinite extensam, *Resp.* Ut taceam materiam indefinitam actu existentem esse chimæram *Spinoza* cum Cartesio similiter explicant infinitatem partium continui & istiusmodi infinitatem partium non est cur respuant *Zenonistæ* quorum hypothesi stante, conclamatum est (inquiunt Cartesiani) de tota *Mathesi*. 2. *Resp.* Athei de infinitate non constare de Deo inquirunt, an sit? mis â quæstione de proprietatibus donec de existentia constiterit.

Sect. 16. Si possibile (inquit Vir. Doct.) sit ens cui existentia sit essentialis; Ergo actu est, nam ejus essentia in se includit quod existat; Ergo si Deus sit possibilis, est seu existit. *Repl.* Quis nescit nos posse abstrahere unam aliquam rei perfectionem etiam essentialem & de ea inquirere? Sic Athei missis aliis perfectionibus de sola existentia (adeóque ut monui de realitate omnium perfectionum) inquirunt; &, quòd possunt, audivimus Cartesium contentem. *Sect.* 4. Quòd (cum nihil haberet quod opponeret) virum doct. consultò dissimu'âsse

mulâſſe apparet. 2. Athei negant poſſibile eſſe ens cui exiſtentia ſit eſſentialis vel neceſſaria, 3. Eſto concederent ens perfectiſſimum eſſe poſſibile, negarent exiſtentiam eſſe de ejus eſſentia, quia eſſentia cum exiſtentia confundi nec poteſt nec debet. 4. Licet concederent exiſtentiam eſſe ei eſſentialem, poſito quod detur, ex hac ſuppoſitone nihil ſequetur, niſi aliunde probaveris dari ſeu exiſtere, nam ſuppoſitio nihil ponit in eſſe, cum dico, ſi homo haberet alas volaret, non licet tibi inferre; Ergo homo eſt animal volatile, niſi probaveris habere alas, ſic, &c. Ex eo itaque quòd poſſibile ſit ens, cui exiſtentia ſit eſſentialis & neceſſaria, tantùm ſequitur ſi exiſtat neceſſario exiſtet, alias (inquit) non liceret argumentare ab eſſentia vel definitione rei & famoſis ſyllogiſmis, omne rationale eſt riſibile, &c. Eſſet putidum ſophiſma. *Repl.* Rationem petitam ab eſſentia vel definitione rei eſſe optimam; Sed non primo ut probetur idem per idem vel ſecundo ut ab eſt tertio adjacente concludâtur eſt ſecundum adjacens ab æterno enim verum fuit hominem eſſe animal non tamen hominem eſſe: vel 3. Ut petatur quæſitum nemo enim ita deſipit, ut neget id rei convenire quod eſſentialiter convenit ſed miſſe et me arguentis ad famoſum ſyllogiſmum omne rationale eſt riſibile confugientis quo non probatur hominem eſſe rationalem quia rationale eſt ei eſſentiale, ſed colligitur proprietas ex differentia eſſentiali.

Sed.

Sect. 17. Principalis (inquit Vir Doct.) fons scientiæ & cognitionis, quam habemus, est ex insitis ideis rerum, mentibus nostris; nulla, n. nova scientia infunditur (nisi in divinis) sed quæ scripta latebat, expergiscitur & reficatur, *Repl.* Quorsum hæc spectant, quæ nihil ad argumentum, non assequor, nisi Platonicam reminiscentiam vel *Pythagoricam Metempsychosin* postliminiò recipiendam velit. Ut ut sit, si fas sit Cartesianis legere, quibus nefas est intelligere *Aristotelem*, remittendos censerem ad 1. post. *anal.* 1. Ubi philosophus contra *Platonem Pythagoram* & novatores ostendit *animam ab ortu esse instar tabulæ rasæ in qua nihil est depictum*; sed Cartesianos hîc & aliàs ignorantia terminorum decepit, quando de lumine naturali & κοιναῖς ἐννοίαις audiunt, insitas (ut loquuntur) ideas intelligi credunt & si Cartesiani inter κοιναῖς ἐννοίαις (non naturaliter & ab ortu insitas sed naturali lumine & sagacitate intellectûs comparabiles) esse Deum reponerent, nugari desinerent, & seriò philosophari viderentur.

Sect. 18. Cartesio laudem nervosi argumenti, licèt alieni, non invideremus, per me licuisset arroganti homini in hoc ratiocinio (licet olim scholis explosо) triumphare, si crederem viliſſimum aliquem bajulum eo convinci, sed quod fundamentalem veritatem ludibrio Atheorum objiciat quasi non alio nisi triviali sophismate nitatur, minime ferendum & sanè mirari subit

sciolum

ſciolum iſtum in hoc & aliis apicibus tot nactum ſequaces, ſed in ignavo & luxuriante hoc ſeculo quod doctis & ſapientibus placuit, non placet, verum non delectat, difficile non intelligitur, & arduum non inquiritur.

Art. II. *Miles expunctus: in Ducem involat, quem proſtratum & multis vulneribus confoſſum armis nudat.*

EXpuncto itaque ignavo hoc milite, quòd nihil in hoſtes poſſet, experiri licet, an cum duce congredi, & munitiſſimâ ipſius propugnacula aggredi audeat, qui claſſicum canens in ducem incurrit, & ſimul & ſemel varios impetus facit hoc pacto, Quod clarè & diſtinctè intelligimus ad alicujus rei eſſentiam pertinere, id poteſt de ea verè affirmari; Sed clarè & diſtinctè intelligimus. 1. Ad eſſentiam generationis pertinere quod terminetur ad eſſe ſubſtantiæ. (Sive forma de novo producatur & actione generativa efficiatur ſive non, certùm eſt novum eſſe ſubſtantiale reſultare; nam ſi ſit generatio, aliquid generatur & hoc non eſt accidens; Ergo;) 2. Ad eſſentiam corruptionis pertinere quod terminetur ad non eſſe ſubſtantiæ. 3. Ad eſſentiam alterationis pertinere quod ad qualitates terminetur; Ergo ve. ę poteſt affirmari. 1. De generatione, quod termi-

terminetur ad &c. Ergo etiam verè contra Carteſium affirmatur dari formas ſubſtantiales & accidentales ad quas earumve unionem (ſi viz. ſuerint ſubſtantiales) terminentur iſtæ mutationes & motus, niſi enim detur forma ſubſtantialis materialis ad quam ut cum materia uniendam terminetur generatio & quæ pereat, & cujus unio cum materia diſſolvetur per corruptionem, dici non poterit generatio terminari ad eſſe ſubſtantiæ & corruptio ad illius non eſſe: & niſi detur qualitas ſeu forma accidentalis, quis Oedipus oſtendere poterit, ad quid terminetur alteratos? Tolle terminos motûs & ipſos motus tollis; Ergo Carteſiani generationem, corruptionem & alterationem tollunt, & omnia naturæ Phænomena evertunt, confundunt & tenebris involvunt.

2. Omnibus præjudiciis ſemotis, clarè & diſtinctè intelligo vim activam pertinere ad eſſentiam cauſæ efficientis & vim activam materiæ, (qualem deſcribit Carteſius & eſſe inertem expreſsè fatetur quæ eſt potentia pure paſſiva, non competere; Ergo verè affirmare poſſumus dari formas ſubſtantiales (quibus competat hæc vis activa) & qualitates ſeu potentias ſuperadditas, niſi omnem cauſalitatem & efficientiam corporibus eripiamus, imo Carteſianos cum deliris quibuſdam veteribus omnem cauſis ſecundis cauſalitatem & efficientiam denegare non primus nec injuria decernerem.

3. Clarè

3. Clarè & distinctè intelligo res corporeas distingui essentialiter, & substantias non posse distingui essentialiter per id quod iis non est essentiale, & nihil contradicentius fingi posse quam accidens esse essentiale substantiæ illàmve constituere.

4. Clarè & distinctè intelligimus ad essentiam vitalium operationum pertinere, ut a principio vitali profluant, & brutis competere complures operationes vitales, quales sunt imaginari, appetere, audire, videre, olfacere, &c. Ut qui hoc neget non verbis sed verberibus ad veritatem confitendam adigendus sit; Ergo clarè & distinctè intelligimus Cartesianos negantes bruta animalia vivere, esse animalia seu habere animam, esse ridiculos novatores philosophi nomine indignos.

5. Clarè & distinctè percipimus objecta sensuum visûs auditus gustûs & olfactûs esse qualitates reales ut & objectum tactûs esse quantum; Ergo distinctè & clarè intelligimus dari qualitates reales: ad essentiam sensûs pertinet ut feratur non in entia rationis, sed realia, Ergo verè affirmare possumus, &c.

6. Clarè & distinctè intelligimus motum localem ex se & per se nec esse generativum, alterativum nec corruptivum, & per eum tantùm deferri corpora è loco in locum & per hoc essentialiter distingui ab aliis speciebus motûs quod non terminetur ad substantiam, quantitatem

tem, qualitatem ſitum figuram, &c. Sed tantum ad Ubi & hinc Latio dicitur; Ergo clarè & diſtinctè intelligimus novatores omnia non cauſæ accepta referre, quando motui locali ea deferunt.

7. Clare & diſtincte intelligimus varietatem naturarum diſpoſitionum, effectuum Carteſiano quinquercione modorum viz. á menſurâ motu, quiete, poſiturâ, figurâ, omnis virtutis, activitatis ac ἐνεργείας experte provenire non poſſe nam clare & diſtincte intelligimus modos nihil aliud eſſe niſi determinationes rerum nullamque virtutem & activitatem iis competere; Ergo.

Hinc 8. Clare & diſtincte intelligimus modos Carteſianos eſſe chimæras, & nec eſſe materiales nec ſpirituales: non ſpirituales, ut conſtat, nec materiales, quia ipſi paſſim materiale cum materia confundunt, & quod non ſunt materiæ ſed principia illi ſuperaddita dictitant; nam ipſis

Mens, menſura, quies, motus, poſitura, figura,
Sunt cum materia, cunctarum exordia rerum.

2. Nec ſunt extenſi nec non extenſi, hic repete omnia ipſorum argumenta contra formas. 3. Nec ſunt cauſata nec non cauſata; Solum enim ens infinitum eſt non cauſatum, nec dici poſſunt cauſata, quia nihil aſſignari poteſt à

quo

quo causentur: non materia (& tamen nil aliud restat) quia materia ex se est indifferens ad quamlibet modorum diversitatem, nec magis exigit hunc quàm illum modum, preterea fatetur materiam esse inertem & non operativam &c. & ἀριλοσόφον est in tali casu ad causam primam recurrere; & sic omnia naturæ mysteria facilem explicationem admittunt, constat enim causam primam esse causam omnium. Inquiritur itaque in causam proximam & particularem quando instituitur philosophica disquisitio.

9. Clare & distincte intelligimus motum naturalem esse a principio interno, & violentum ab externo, motum naturalem esse rei inclinationi & naturæ convenientem & violentum disconvenientem; Ergo clare & distincte intelligimus, Cartesianos omnes formas cum substantiales tum accidentales, adeòque & omnem inclinationem, propensionem, dispositionem & exigentiam rerum negantes, nec motum naturalem, nec violentum nec contra nec præter naturam, adeoque & nullum agnoscere posse, licet motui omnia accepta referre videri velint.

10. Clare & distincte intelligimus dari sympathias & Antipathias rerum morbos, sanitatem, alimentum, venenum, &c. Ergo & qualitates activas & passivas, temperiem qualitatum ἐυκρασίαν & δυσκρασίαν, &c. Ergo & Cartesianos

tesianos negantes ullas dari qualitates vel qualitatum temperiem, adeóque sanitatem, morbum, alimentum, venenum, vitam, mortem, Sympathias, Antipathias, rerum, &c. Albo Philosophorum non esse inscribendos.

11. Clare & distincte intelligimus motum à nulla creata virtute motrice provenientem esse miraculosum; Ergo & Cartesianos delirare, quando omnia naturæ phænomina non nisi per miracula explicari posse contendunt: omnia enim motui, & motum nulli virtuti motrici, nulli causæ producenti vel conservanti ascribunt; utque nullam causam motus assignant, ita neque subjectum designare possunt. En paucis descriptio admirandi motûs Cartesiani! Est quid causatum sine causa, est quid successivum permanens, est accidens migrans de subjecto in subjectum, & per se subsistens, sine causa, sine subjecto, est motus & res mobilis, est activus & influxivus, sine actione & influxu, nec est materialis nec spiritualis, nec habet extensionem nec caret extensione, est in loco, sed nec definitive nec circumscriptive, &c.

12. Clare & distincte intelligimus dari corpora & composita substantialia & modos vel accidentia non posse componere seu constituere substantiam. Ergo & novatores omnia confundere & inconcussa ac lumine naturæ nota principia rejicere. *Confirm.* Clarè & distinctè intelli-

intelligimus formam dare, esse rei corporeæ, eamque ab aliis distinguere; Ergo & sublatâ formâ tolli definitionem (in quâ differentia petitur a forma) & essentialem corporum distinctionem, categoriam, & seriem generum & specierum, & (ut delirando olim dixerat *Parmenides* & *Melissus*) omnia esse unum, si hominem fortè exceperis. *Confirm.* 2. Clarè & distinctè intelligimus ex substantia & accidente non fieri ens unum per se (facilius poterit Hircus & Cervus, quam substantia & accidens in unam essentiam coalescere) Ergo & omnia corpora naturalia (excepto homine) juxta Cartesianam Philosophiam esse entia per accidens & composita ex modis accidentalibus.

13. Clarè & distinctè intelligimus rerum proprietates à formis seu naturâ provenire, & his sublatis illas etiam tolli & rerum naturas everti; nam (ut loquuntur veteres) τῶν ἰδιωτήτων ἀναίρεσις τῆς φύσεως ἄρσις ἐστὶ tolle proprietates, & tolles naturam. *Confirm.* Clarè & distinctè intelligimus dari facultates naturales & acquisitas, ac habitus naturales & supernaturales, ecce quò tendit novatorum philosophia, ut non solùm omni studio & disciplinis liberalibus (si *Matthæus* fortè exceperis & tamen ne hic habitum

Sive statuantur virtualiter, sive actu & formaliter & distinctæ a materia. *vid. ideam.*

tesianos negantes ullas dari qualitates vel qualitatum temperiem, adcóque sanitatem, morbum, alimentum, venenum, vitam, mortem, Sympathias, Antipathias, rerum, &c. Albo Philosophorum non esse inscribendos.

11. Clare & distincte intelligimus motum à nulla creata virtute motrice provenientem esse miraculosum; Ergo & Cartesianos delirare, quando omnia naturæ phænomina non nisi per miracula explicari posse contendunt: omnia enim motui, & motum nulli virtuti motrici, nulli causæ producenti vel conservanti ascribunt; utque nullam causam motus assignant, ita neque subjectum designare possunt. En paucis descriptio admirandi motûs Cartesiani! Est quid causatum sine causa, est quid successivum permanens, est accidens migrans de subjecto in subjectum, & per se subsistens, sine causa, sine subjecto, est motus & res mobilis, est activus & influxivus, sine actione & influxu, nec est materialis nec spiritualis, nec habet extensionem nec caret extensione, est in loco, sed nec definitive nec circumscriptive, &c.

12. Clare & distincte intelligimus dari corpora & composita substantialia & modos vel accidentia non posse componere seu constituere substantiam. Ergo & novatores omnia confundere & inconcussa ac lumine naturæ nota principia rejicere. *Confirm.* Clarè & distinctè intelli-

intelligimus formam dare, esse rei corpoream, eamque ab aliis distinguere; Ergo & sublatâ formâ tolli definitionem (in quâ differentia petitur a forma) & essentialem corporum distinctionem, categoriam, & seriem generum & specierum, & (ut delirando olim dixerat *Parmenides* & *Melissus*) omnia esse unum, si hominem fortè exceperis. *Confirm.* 2. Clarè & distinctè intelligimus ex substantia & accidente non fieri ens unum per se (facilius poterit Hircus & Cervus, quam substantia & accidens in unam essentiam coalescere) Ergo & omnia corpora naturalia (excepto homine) juxta Cartesianam Philosophiam esse entia per accidens & composita ex modis accidentalibus.

13. Clarè & distinctè intelligimus rerum proprietates à formis seu natura provenire, & his sublatis illas etiam tolli & rerum naturas everti; nam (ut loquuntur veteres) τῶν ἰδιοτήτων ἀναίρεσις τῆς φύσεως ἄρσις ἐστὶ tolle proprietates, & tolles naturam. *Confirm.* Clarè & distinctè intelligimus dari facultates naturales & acquisitas, ac habitus naturales & supernaturales, ecce quò tendit novatorum philosophia, ut non solùm omni studio & disciplinis liberalibus (si *Melissum* fortè exceperis & tamen ne hic habitum

Sive statuantur virtualiter, sive actu & formaliter & distinctæ a materia. *vid. ideam.*

vel facultatem aliquam ſtudendo acquiri agnoſcere poſſunt) bellum indicant ſed (quod caput eſt) gratiam & ſupernaturale auxilium adeoque & omnem religionem una cum philoſophia ſobria exulare jubent hinc rotundè *Hereboord melet. vol. 2. diſp. 4. ſ. 6. Si habitus acquiſiti non ſint (ut contendit) entia realia nec infuſi erunt entia realia,*

Hæc quippe eſt ſecunda lex in quam deliriorum myſtæ jurant *cum libris nullum inquam futurum commercium* (1 enim lex fuit quod omnium quæ didicerunt oblivi-ſci debeant) *Scho. met. nov. ph. ſect. 1. cap. 2.*

14. Clarè & diſtinctè intelligimus diurnam & annuam terræ rotationem, quietem ſolis & cœli ſtelliferi, *&c.* Scripturis, ſenſui & rationi repugnare; Ergo, *&c.*

15. Clarè & diſtinctè intelligimus vortices cœleſtes, globulos æthereos, circulationem motus localis, agitationem partium inſenſibilium, *&c.* Nullo fundamento niti niſi fatuâ Carteſianorum imaginatione; Ergo, *&c.*

Quæritur an Carteſius tantum Geometriæ & figuris tribuerit, quia in circulo ludit & lectoribus illudere ſtudet; Sed proh non in hortis mathematicorum, ſed in Sophiſticis Elenchis enaſcitur hic Circulus! Carteſianorum ſcientia eſt per omnia ſimilis carbonariæ fidei Pontificiorum, ſi enim *quæras* unde provenit hîc & ille motus. *Reſp.* Ab hac & illa

Probl.

illa figura, ſitu, &c. Si rurſus *quæras* unde provenit hæc & illa figura, ſitus, &c. *Reſp.* Ab hoc & illo motu, vel ſi dixerit hæc provenire *ab his & illis globulis ætherei*s vel *atomis* & *particulis inſenſibilibus*, quæritur unde iſti *atomi* vel *globuli ætherei* cauſentur. *Reſp.* à tali motu, & hunc à tali ſitu & figura provenire, ſicque ab uno ad aliud in infinitum proceditur; motum igitur circularem licet ſemper crepet *Carteſius*, nil mirum cum ipſe ſemper in Circulo moveatur & per eandem eat redeatque viam.

Art. III. *Agitatione Phylacterii militis triumphantis examinatur Dux proſtratus.*

FImbriam Carteſianorum demonſtrationum *quod clare & diſtincte intelligimus neceſſario eſt verum*, retinuimus non quod iſtiuſmodi phaleratis verbis aliquid tribuendum cenſerem Sed quia res ipſa loquitur, & quia jam in Carteſium Carteſianis armis pugnamus; Sed fruſtra prætenditur claritas & rectitudo niſi ſenſus vel ratio eam monſtraverit & ipſi rei inesſe comperiemus: hoc tamen πολυθρύλλητον in Meditationibus ſæpiùs inculcat & in ſuâ methodo Geometricâ inter *poſtulata* reponit; Sed quæſo Metaph. med. p. 183.

Carteſi numquamne principia Philoſophiæ (quæ poſt, omni (ſed irrito) conatu concutere laboraſti) viſa ſunt tibi certa & clara? Hoc ſæpius faſſus eſt idcirco multum deſudavit, ut omnium obliviſceretur, quæ prius didicerit & ſciverit *verum tamen* (inquit) *multa prius ut omnino certa & manifeſta admiſi, quæ tamen poſtea dubia eſſe deprehendi* & initio. *Medit.* 1. *Animadverti* (inquit) *quam multa falſa pro veris admiſerim*, &c. An igitur huic principio fidendum quod ſuum authorem fefellerit? Sed hinc clarè & diſtinctè intelligimus qualia ſunt *poſtulata Carteſiana* hoc itaque imprimis & paſſim *Thraſonice prædicat* hic *Agyrta etiamſi* (inquit) *dubitationem non admittat & tanti ſit momenti ad omnem Philoſophiam è tenebris eruendam parum tamen vulgo conſideratur*, infallibilem itaque hunc ſapientiæ magiſtrum & perplexorum doctorem rogatum velim, ut nos edoceat, viam inveniat, & regulam monſtret, qua dignoſcere poſſimus, quando falsò putem me clarè & diſtinctè intelligere, & quando verè clarè & diſtinctè intelligam, hoc niſi præſtiterit, (& in æternum non præſtabit) ſumum vendit & nugaciſſime nugatur ipſiuſque hoc ſubleſium poſtulatum ſolo riſu & contemptu refutandum eſt; nam *Hæretici* tam firmiter adhæreſcunt

Medit. 3. pag. 28.

Reſp. prim. p. 120. 121.

hæreſcunt ſuis erroribus ac *Archimedes* mathematicarum demonſtrationum concluſionibus, & illi illorum non minus quam hic harum rectitudinem & evidentiam crepant, & *Carteſius* quondam ita tenaciter Philoſophiæ principiis adhæſerat, ac poſt ſuis placitis & hypotheſibus, an igitur magis credendum *Carteſio*, jam crepanti certitudinem & evidentiam principiorum inconcuſſorum in naturæ penetralibus expreſſorum & inde emanantium?

Neſciebam authorem. 5. *Objecti.* hoc ipſum *Carteſio* objeciſſe vel Carteſium conatum, ſuiſſe reſpondere; quid autem reſpondeat conſiderandum venit *quod* (inquit)

addis non tam de veritate Pag. 424.
regulæ eſſe laborandum
quam de methodo ad dignoſcendum an fallimur nec ne, cum exiſtimamus nos aliquid clare percipere, non (inquit) *inficior. Sed hoc ipſum a me præſtitum fuiſſe contendo ſuis in locis ubi primum abſtuli omnia præjudicia, & poſtea enumeravi omnes præcipuas ideas ac diſtinxi claras ab obſcuris aut confuſis. Repl.* Ecce brevem & compendioſam viam veritatis indagandæ ut *viz.* Carteſium ut alterum *Pythagoram* adoremus ita ut proſcripta à ſcholis ratione, unius valeret authoritas & *ἀυτὸς ἐφη* ſit prima & infallibilis regula veritatis. Jam remittit nos ad methodum in *meditationibus* delineatam cujus ideam

 multis

Accur. Meth. nov. Phil. sect. 1, 3. & 4.

multis capitibus exhibet Doct. *Schookius*, & tandem *sect.* 4. *cap. ult.* concludit, *novam Cartesii methodum ad Scepticismum Enthusiasmum & Atheismum viam sternentem non tam philosophos quam deliros phreneticosque gignere*, qui etiam clare demonstrat Cartesium omnem rationem imo & religionem dubitationum fluctibus ex animis hominum extirpare conatum, ut ipse solus audiatur, & ei soli credamus, quis enim serio veritatem investigans non conatur omnia prejudicia exuere? Sed (inquit) nihil proficiet, nisi me ut infallibilem veritatis doctorem suspiciat hinc, 2. *Vir πάντων ἀνάξιος & ἄλλων*, Subjicit *se vera a falsis certa ab obscuris aut confusis distinxisse*, ubi animabo tu *Thraso* distinxisti quod fundamentum distinctionis exhibuisti, quam rationem monstrasti. Tantum *medit.* 6. (ad quam lectorem te jam remisisse scio) enumerasti quædam entia sine ordine aut dependentia quod quivis *bubulcus* dum *pecus* circumcursat non minus utiliter & solerter præstare potuisset.

Sed ut ad *Cartesii* principium revertamur, cum istiu modi trutina veritatem examinandam contendat, dum mysteriorum naturæ Epopta videri velit ad *Scepticismum* viam sternit ut non injuria *Schookius* dixerit *ipsius methodum non per ambages*; Sed rectâ

Sect. 4. *cap.* 1.

ad

ad Pyrrhoniorum delira ducere noſque ab hoc Panſophiæ Doctore non ad ſacrarium Sophiæ ſed ignorantiæ, ſi non Moriæ, deduci, maxime cum aliâs (ut ſtatim audiemus) profiteatur ſe in phyſicis non certa ſed veriſimilia tantum proferre, cum tamen hic nihil ut verum admittendum eſſe cenſeat, quod non clare & diſtincte intelligimus, & *Reſp. 5. pag. 416. Summopere* (inquit) *cavendum nequid ut verum admittamus, quod non poſſimus probare verum eſſe. & alibi inculcat nihil ſciri poſſe niſi animus ita tranquilletur ut nullam de eo dubitandi aut hæſitandi occaſionem inveniat*, judicet itaque lector num ex *Carteſii* poriſmatis non poſſit *Scepticiſmum* concludi; paſſim enim crepat ſuas demonſtrationes eſſe optimas. 2. Eas tamen non ex veris ſed veriſimilibus conſtare. 3. Nullam rationem admittendam eſſe, quæ non certo & evidenter probet aliquid eſſe verum ſeu nihil ut verum admittendum eſſe niſi ita clare & diſtincte percipiatur, ut omnes nebulæ quas ratio circa illud concitare poterit per evidentiæ Solem nullo negotio diſcuti poſſint; Ergo a primo ad ultimum neceſſario ſequitur nihil ſciri poſſe & nihil ut verum admittendum eſſe, paucis ſic, Carteſianæ demonſtrationes & rationes ſunt optimæ, Sed ſunt nullæ; Ergo nullæ expectandæ ſeu ergo optimæ ſunt nullæ. Unde *Princip. Phil. part 4. ſect. ult.* concludit *Se nihil affirmare nihilque ab ullo credi velle niſi quod ipſi evidens &*

invicta ratio persuadebit; Ergo nihil credi voluit nam, *sect.* 204. fassus est istiusmodi invictas rationes reperiri non posse; *Sed* ut ad Cartesii postulatum revertamur, illud non ad hominem solum sed certitudine & evidentia ipsius rei inducti usurpavimus, ubi non fictis hypothesibus, sed principiis lumine naturæ notis novatorum somnia detegere conati sumus; dari causas, effectus, generationem, corruptionem, alterationem, distinctionem, corpora, *&c.* Quis ita insanit ut neget? quæ tamen stantibus Cartesianorum hypothesibus defendi & explicari nequeunt.

Non vacat jam ad particulares novatorum hypotheses conclusiones seu potius somnia descendere quæ nulli fundamento, rationi aut experientiæ inniti demonstratu facile est & si res postularet & si in istiusmodi ineptiis refellendis dies aliquot perdere liceret me demonstraturum confido; vel enim a similitudine particulari inepta & obtorto collo applicata generale aliquod principium & axioma colligunt vel ex suppositiitiis quibusdam principiis naturæ arcana illustrare conantur; Sed si istiusmodi fictis hypothesibus indulgere liceret & ex iis arcessere causas & rationes arcanorum naturæ, poterit quilibet delirans cerdo videri mysteriorum ἀνάλυσις & Cartesianam evidentiam crepare; sic *Mahumedani* (ut maxime dilirantium somnia cum novaturientium placitis conferamus) licitantes

tantes esse quoddam animal Albehhut (non inquirimus an putetur esse piscis an avis vel potius instar vulpis ut magis phænominis naturæ explicandis inserviat) cujus caput est in oriente cauda in occidente cui habitaculum orbi lunæ contiguum cauda pendente per *torridam* hyeme, & æstate per frigidam *Zonam* & extremitate curvatâ terram ambiente, & sustentante; ex hoc commento multo evidentius quam ex fictis hypothesibus Cartesianorum plurima abstrusa naturæ mysteria explicari poterint quis enim narrationis evidentiam non videt? Si *Rhombus* 1. ascriberet maris *accessum* & *recessum* Systolæ & diastolæ istius magni animalis quod ob viscerum magnitudinem non nisi bis quotidie spirare solet; per Systolen enim attrahendo aerem attrahitur aqua marina sicque fit recessus, & trudendo aerem quando per diastolen extenduntur viscera, pellitur & tenditur aqua marina, sicque fit accessus. 2. Si attribuerit *motum terræ* concussioni caudæ istius animalis quod supponitur totum terræ globum cauda sustentare. 3. Si

Docent Thalmudistæ *suum Leviathan cauda sustentare totum terræ globum & caudæ concussione motum terræ concitare, recessum maris causare quando branchiis aquam attrahit accessum vero quando aquam exput*, narrationem a Thalmudistis de Leviathan sic lepide inchoatam prosequemur de Albehhut ut fabellam hanc cum Cartesianis nugis conferamus.

tonitru

tonitru ſtatuatur crepitus ventris &, 4. Si *venti* eorumque diverſitas dicantur provenire a motu & diverſitate motus membrorum iſtius Albehbut. 5. Si *pluvia* dicatur eſſe ipſius urina diſtillans per cœlum poroſum inſtar cribri ita ut tunc abundent pluviæ quando Baccho liberiùs indulget; Sed 6. Si abſtemium fuerit urina in *rorem* reſolvitur. 7. Si dixerit *nivem* nihil aliud eſſe niſi plumas teneras avium quibus veſcitur Albehbut menſibus hybernis, quæ deſcendentes per cœlum poroſum per humidum aera diſſolvuntur. 8. Si *nubes* ſtatuantur fuligo & fumus emanans ab igne ſuperæthereo quo aſſantur, & coquuntur piſces & carnes & prandium paratur iſti immenſæ gulæ animali. 9. Quando fumum Tabaci haurit, excitatur *caligo* quæ poros terræ & aquæ (ratione ſpirituum iſti fumo inhærentium) penetrans & hinc reſpirans in *vapores* & *exhalationes* reſolvitur.

Quid plura? Hinc *Carteſii* myſteria facilem explicationem & qualem diſcipulis pollicetur (*viz.* quæ ab omnibus ſenſum comunem habentibus intelligi poſſet) obtinebunt quæ alias nullam expoſitionem admittent, quid enim 1. Sunt *vortices cœleſtes* niſi fermentatio & cibi concoctio in ſtomacho Albehbut? 2. Unde provenit diverſitas *quantitatis, poſituræ, figuræ* &c. niſi ab alteratione facta ibidem? Hinc quotidie attrahuntur & detruduntur tot acervi atomorum & particularum elementorum quæ redeuntes

untes cum diversa figura positura, &c. omnem diversitatem, alterationem, &c. in rebus sublunaribus efficiunt. 3. Unde est quod *particulæ insensibiles* circumrapiantur in gyrum? unde provenit *circulatio motus localis* & *globulorum æthereorum*, &c. nisi a rotis molæ qua moluntur frumenta in usum Alhehbut? & 4. Cum inquiritur movens & causa efficiens & conservans *motus Cartesiani* ad istas molinarias rotas (quæ ob voracitatem istius animalis nunquam á motu cessant) recurrere licet. 5. Hinc explicatu facilis est ortus *particularum insensibilium*, ad quas nulla causæ sublunaris vis & causalitas terminari potest: quid enim sunt istæ *particulæ insensibiles* nisi molitura & pollen tenuissimis frumenti ramentis (hæc enim sunt sensibilia) tenuius ponderosis molaribus expressum & huc illuc diverberatum & trusum, donec in *globulos æthereos* in sui conservationem compingatur? Si autem quædam particulæ & pulviculi ita dissipentur, ut coire non possint errones isti hostibus & contrariis expositi, & contagioni obnoxii, tandem ad terram detrusi fiunt materia & radix omnium morborum, pestis, febrium malignarum, veneni, corruptionis, alterationis, &c. in hisce sublunaribus.

Dices Alhehbut esse somnium delirantium *Mahumedanorum*; Sed quis negat dari motum, quietem, figuram, &c. *Rep.* 1. *Galilæi* & aliorum

aliorum novatorum mundum in luna minori religionis (cum magis Scripturis adverſetur) & non majori rationis ſobrietate fingi, quàm Albehbut *Mahumedanorum* & quid amabò ſunt montes, colles, turres, & alia quæ beneficio tubi optici creduntur in luna conſpici, niſi digiti (non dico caput vel pedes, &c.) Albehbut (cujus domicilium creditur eſſe lunæ contiguum) vel forte dentes, qui apparent quando ridet, & qui poterit a riſu abſtinere ſi ratione præditum eſſet & ſciret homines ita delirare ut crederent ipſius Dentes aut digitos eſſe mundum in lunâ? 2. Terram rotari tam rapidâ circumgyratione ut ſingulis horis, 225. Milliaria Germanica abſolvat Scripturis rationi & ſenſui magis repugnat: Stante itaque hac hypotheſi, nihil ſenſui tribuendum, nihil rationi, quæ ſenſui & experientiæ innititur, & homines non amplius rationales, ſed ita fatui & amentes habendi ſunt, ut cum rapidius deſultent, quàm perniciſſimi catuli curſitant, aut velociſſimæ aves in aere volitant; ſe tamen quieſcere & nequaquam moveri credant. 3. Carteſianos vortices cœleſtes, globulos æthereos, circulationem motûs, agitationem particularum inſenſibilium in gyrum, earumque compactionem in planetarum & cometarum globos varie pro earundem diverſitate & a Sole diſtantia, &c. vix majori veri ſimilitudine fingi & multo minori evidentia phænomena naturæ explicare.

4. Dari

4. Dari motum, quietem, &c. Quis ambigit? Carteſianum tamen motum à nulla virtute motrice profluentem, quietem contrarie oppoſitam motui, & quæ eandem virtutem & influxum poſtulat, quam motus quantitatem & figuram activam, &c. Non ſolum ſunt ſomnia, ſed chimæræ. 2. Non quæritur an dentur, ſed an ſint principia; non enim dubitatur an ſint homines in carcere *Bedlam* incluſi, ſed an ſunt *reges*, *prophetæ*, &c. ut ipſi imaginantur.

Dices horologium moveri ſola figura, poſitura ac partium diſpoſitione. *Reſp.* Hoc argumentum (quod tamen unice urgeri ſolet pro activitate modorum Carteſianorum) eſſe puerile & ridiculum cujus puderet veræ & Peripateticæ philoſophiæ diſcipulum & Tyronem: quis enim ita mentis alienatione laborat, ut neſciat figuram & diſpoſitionem partium non eſſe principium motus horologii, quamvis itaque adſit figura, partium diſpoſitio, &c. Niſi ſit materia apta & naturali virtute & qualitatibus (quas dari negant novatores) prædita nullum motum ſequuturum conſtat: iſte igitur motus non provenit a figura & magica aliqua virtute, ſed à gravitate ponderum (ut in majoribus horologiis) vel (ut in minoribus) vel a nixu corporis præter naturam compreſſi, præternaturalem figuram (licet forte actio directione impreſſa) χάσιν ſitum &c. recuperare conantis, ſed bene eſt quod novatores

tres nullum exemplum, nisi rei inflatu violento aut non naturali proferre possint. *Dices*, isti tamen motus profluunt à figura & partium dispositione: quia sine hac figura, dispositione partium, *&c.* non daretur talis motus. *Resp.* Nisi res esset in statu præternaturali non conaretur recuperare statum naturalem; Ergo juxta logicam novatorum motus violentus est causa motus naturalis, debuissent igitur distinguere inter causam & occasionem; *dicimus* itaque non motum sed modificationem motûs provenire a figura, dispositione partium, *&c.* Et generaliter opera naturæ non procedere ab arte ut principio productivo sed directivo; & determinatio motûs, & quicquid realitatis est in motu sic modificato in solidum ascribi debet non arti, figuræ, dispositioni partium, *&c.* Sed naturæ, & virtuti, ac facultati naturali rei: ars itaque tantum præscribit, quæ & quatenus activa applicanda sunt passivis, sed nullam vim figuris, aut situi partium confert.

Egregiam sane navavit operam *Renatus* in suis meditationibus volens ostendere hæc tria: 1. Esse aliquid. 2. Esse Deum. 3. Animam à corpore distingui; Sed (ut taceam quam stramineis argumentis pro iis contendat) cui *bubulco* non explorata sunt hæc tria principia, & tamen hic *Thraso* ut thesauro veritatum nondum ante vulgatarum intolerantissimè de isto

opere

opere gloriatur; etenim (inquit) *in paucis illis meditationibus quas edidi principia omnia philosophiæ, quam paro, continentur — ea itaque est fortuna speciminum meorum, ut quamvis non a multis intelligi potuerint; tamen a maxime ingeniosis & doctis multas veritates nondum ante vulgatas continere comperta sunt.* Epist. ad Dinet.

Quales sint isti ingeniosi & docti doceat *Schockius*, *quis* (inquit) *hunc tenebrionem cum porculo Anticeras ablegandum non esse judicet* Meth. pag. 8.

& qui suam Philosophiam partim ociosis quibusdam hominibus nullius studii, nullius eruditionis partim viris quibusdam politicis obtrudit: & alibi, *proinde*, (inquit) *mi vir, ne orbis fias ludibrium usquedum antiquam Philosophiam quam tibi ignotam, adeo contemnis probe intelligas, in antro secure quiescas: utque paulatim in terminorum cognitionem pervenias, diligenter perlege Castanæi distinctiones aut potius lexicon philosophicum Goclenii.* Ibid. sect. 2. cap. 5. pag. 105.

Silcissent novatores, quid sit ens, quid modus, quid causa, quid corpus, quid distinctio essentialis, quid materiale, &c. suis nugis nuncium misissent, & recepta Philosophiæ principia oppugnare conati non fuissent, ut in nostra velitatione cum *Heereboordo* pro formis & natura ostendimus. Sed recrimiqari non desinent scioli nobisque objicer

jicere ignorationem ſcientiarum Mathematicarum, quibus ignoratis principia Carteſianæ Philoſophiæ intelligi non poſſunt. *Reſp.* Principia phyſica non magis quam regulis Diſputerii mathematicis demonſtrationibus poſſe probari. *loc. cit.* docuimus, licet hic novator, *ſe ſubſidio Geometricarum & Algebraicarum analyſeων intra paucos menſes multarum rerum rectiſſimam ſcientiam acquiſiviſſe profitetur*, & ſi tanta ſit μαθέσεως utilitas, cur hic *Thraſo* vel unam demonſtrationem geometricam vel Algebraicam in meditationibus metaphyſicis vel phyſicis non protulerit? In phyſicis ponuntur quædam diagrammata Alphabetaria (qualia non ſemel occurrunt apud *Ariſtotelem*) quæ licet explicationi & illuſtrationi inſervire poterint, nemo tamen dixerit, ea probationis loco adhibenda quin imo non minus poterint Diſputerianis regulis quam *Carteſii* poriſmatis ſubjici, licet itaque novatores paſſim crepent Mathematica poſtulata hypotheſes & demonſtrationes, adhuc in ipſorum cerebris volutarit & nuſquam conſpici vel legi poſſunt quin imo novatorum anteſignanus, *Walt. Charleton, Phiſio. lib. 2. cap. 2.* Contendit non licere in materiam phyſicam transferre demonſtrationes geometricas, & quid ſi dixero cum eodem authore ibid. Ne poſſe demonſtrare concluſiones mathematicas

Diſp. de continuo Mathematico ignorantiam & inſciriam in rebus Phyſicis & mathematicarum hypotheſeων falſitatem ſuſe deteximus.

thematicas niti falsis! & sibi invicem oppositis hypothesibus: addit tamen ille conclusiones Mathematicas esse veras, cum ut in logicis dicitur *ex falsis verum inferri possit*, hinc tamen corruunt demonstrationes Mathematicæ, tam licet per accidens ob ignorantiam respondentis vel vi formæ ex falsis inferri poterit verum; nunquam tamen demonstrative: cum demonstratio, ut formam legitimam, ita & principia ac propositiones veras postulet: quamvis itaque conclusiones Mathematicæ, si ad Lydeum rationis lapidem vocentur, sustineri non possunt, cum tamen Mathematicorum errores sint insensiles, & licet mentis non tamen corporis oculo discerni possint, artificibus & hominibus plebeiis pro veris habentur, & variis machinis & mirandis artefactis conficiendis non minus inserviunt, quam si ad amussim philosophiæ principiis & rationi consentaneæ essent; artifices enim non rationis præscriptum, sed sensus judicium curant. Quid enim falsius aut monstruosius fingi potest, quam minimum punctulum constare partibus infinitis, & esse divisibilem in infinitum, ita ut per divinam potentiam non possit in omnes suas partes dividi? Et tamen huic portentoso fundamento innituntur demonstrationes Mathematicæ. 2. Proprietates Mathematicas non probari per veras & per se causas essendi, nec causas intrinsecas (ut cum figura A probatur per figuram B sibi

extrinsecam) quis nescit, ut taceam, non dari lineas & superficies per se existentes (ut imaginantur) nec figuras, quales illi describunt, sicque de entibus imaginariis digladiantur; quod non dentur non negabunt, sed nec dari posse demonstratu non est difficile, hinc de entibus chimæricis & impossibilibus sunt perfectissimæ demonstrationes Mathematicæ. *Vid. disp. de continuo.*

Non pudet nos profiteri ignorantiam (quæ sobriis sobria & docta apparebit) nostram in iis quæ author naturæ in penetralibus naturæ delitescere voluit; complures enim qualitates se produnt suis effectibus & mirandis operationibus, quarum naturam penetrare nequimus, quas ideo *occultas* appellamus, at novatoribus nihil est occultum, dum sese occultant Carthesiani in vorticibus cœlestibus, globulis æthereis, insensili agitatione particularum insensilium, & in intelligibili (si non magica) virtute modorum, figurarum, positionum, numerorum, &c. *Epicuro-Gassendistæ* in insensilibus effluviis atomorum insensilium. Cum incidissem in *Charletoni* (cui omen in nomine, nobis enim & Gallis *Agyrtam* sonat) *Physiol. lib. 3. cap. 15.* cui titulus *occultæ qualitates manifestatæ* avide legi ut scirem, *quid dignum tanto ferat hic promissor hiatu.* 1. Fatetur se non posse crimen intollerabilis arrogantiæ effugere, si negaret ullas esse qualitates occultas, *Art. 1.* 2. Fatetur

2. Fatetur ſe non poſſe vera, ſed veriſimilia polliceri, *ibid.* Influxus cœleſtes & non pauca ſenſibus obvia & nimis nota negat, & ſibi ſuiſque dictatis de magica virtute pulveris ſympathetici contradicit, & ſummatim omnia quæ occultis qualitatibus aſcribuntur, atomorum effluviis aſcribit; ſicque dum *montes parturiunt, naſcitur ridiculus mus.* Nam. 1. Quæritur, ſintne iſta effluvia occulta? 2. Remaneatne adhuc omnis difficultas, nam de qualitatibus occultis inquiri poterit. 1. Unde oriantur? 2. Quæ ſit earum virtus? 3. Quomodo operentur & ſuos effectus producant? An non de iſtis effluviis itidem quæri poteſt. 1. Unde & a quo cauſentur? 2. Quæ ſit illa virtus quæ hiſce atomis ineſt? Et 3. quare hiſce atomis potius quam aliis, & quare atomi effluant ex hoc potius quam alio corpore, & quare ab his potius quam ab aliis atomis tales effectus & operationes profluant?

Licet itaque Carteſius interdum ſuas conjecturas *rectitudine & evidentia Geometricas demonſtrationes æquare vel etiam ſuperare exiſtimet*, epiſt. dedic. medit. præfix. & alibi *nullam* (inquit) *rem ut veram amplecti decrevi, quam non ſcirem evidenter talem eſſe*, Meth. Gal. p. 30. *quæque adeo dilucide & diſtincte ſe intellectui meo offerret, ut nullam amplius de ea dubitandi occaſionem haberem*, & Epiſt. ad Dinet. pig. 165.

Spero (inquit) *me veritatem eorum omnium, de quibus in philoſophia ſolet diſputari, tam clare eſſe expoſiturum, ut quicunque illam quærent, perfacile ipſam ibi ſint inventuri*: initio tamen phyſicarum ſpeculationum cogitur fateri ſe nudas conjecturas & veriſimilia afferre; & à *Charletono* maxime laudatur quòd hanc coronam capiti ſuorum principiorum & demonſtrationum phyſicarum impoſuerit *at quamvis forte* (inquit Carteſ.) *hoc pacto intelligitur quomodo res omnes naturales fieri poterint; non tamen ideo concludi debet ipſas revera ſic factas eſſe, & ſatis a me præſtitum eſſe putabo, ſi tantum ea quæ ſcripſi talia ſint, ut omnibus naturæ phænomenis accurate reſpondeant*: hoc enim ad uſum vitæ ſufficeret. Bone Vir per nos licebit illiuſmodi conjecturis indulgere, modò principiis & naturæ phænomenis ſenſu, ratione & lumine naturæ notis non adverſeris & obluctaris: *Thalmudiſtarum* fabulis *Valentinianorum* cœonibus & *Mahumediſtarum* myſteriis (quæ in appendice *Alcorani* de naturæ ſecretis habentur) non paucis naturæ phænomenis reſpondere claret, & evidentia narrationis negari non poteſt & ex his non minus quam ex *Carteſii* commentis non pauca naturæ myſteria ita explicentur, ut ab omnibus ſenſum communem habentibus (ut de ſuis hypotheſibus

Phyſiol. Epic. lib. 2. cap. 1.

Pr. Phil. part 4. ſect. 204.

bus

bus gloriatur *Carteſius*) intelligi poſſint: ſi anus in angulo nens, hybernis noctibus iſtiuſmodi fabellas effutiret, tolerari poterit; ſed ut illi qui Philoſophiæ reformatores & myſteriorum naturæ Epoptæ audiri velint, ita delirent, minime ferendum eſt. Habent Peripatetici ſua problemata meteorologica & phyſica, vid. *Froymond.* & *Conimbricenſ. meteor. Gisb. Iſendor. Phyſ. Conimbricenſ.* Problemata de elementis & ſenſibus, *Ariſtotelis* & *Zimaræ* problemata, *&c.* ubi abditæ rerum cauſæ evolvuntur, & complures veritates occultæ enodantur, & phænomena naturæ principiis philoſophiæ reſpondere oſtenditur: qnia tamen probabilibus, & non demonſtrativis rationibus nituntur, ſe non dogmata vel aſſertiones, ſed problemata tradere doctiſſimi philoſophi profeſſi ſunt; non puduit novatorem, *Epiſt. ad Dinet. pag.* 170. profiteri, *ſe tantum ea principia admittere, quæ omnibus omnino philoſophis hactenus fuere communia, quæ* (inquit) *idcirco omnium ſunt antiquiſſima*, non jam Carteſium impudentiæ & mendacii coarguo; conſtat enim ipſum philoſophiæ principia paſſim (ſed irrito conatu) oppugnare et nova præter omnem rationis ſobrietatem ſubſtituere (quis enim ante hunc novatorem ipſius modorum quinquercionem dixerit eſſe principia rerum?) Sed ex confeſſione

Epiſt. ad Dinet. pag. 165.

adversarii concludimus illas solum hypotheses admittendas esse, & istiusmodi rerum causas inquirendas quæ communibus principiis quadrant, ac in quibus antiqui & moderni acquieverunt; & istiusmodi hypothesibus nititur quicquid ab *Aristotele* & philosophis citatis traditur in istis problematis; sed ab ignavo hoc seculo non legendis, cum multas & varias rerum causas exhibeant, quæ uno die disci non possunt; non enim acquiescunt viri isti ingeniosi in Homerico τὸ δ' ἀπομειβόμενος nec Cartesiano modorum quinquercione, à quo in genere & definite, omnes effectus naturales profluere docent Agyrtæ quod (inquit *doctiss. Voetius*, Choroebus quisque unius atque alterius horulæ spatio doceri posset) sed nec in specie nec individuo determinate probant aut explicant, quare aut quomodo ab eo oriantur, nec ostendere possunt, nisi quantitatis, figuræ &c. Efficaciam aliquam magicam & diabolicam esse evicerint.

Select. disp. part 1. *disp.* 45. *pag.* 874.

Pro accidentibus nescio qui modi substituuntur & hiscemateriæ Schematismis mirabilium operum patratio ita ascribitur, ut quid à superstitionibus magicis ea opinio absit, ne ocutatissimi quidem videre possint, *Rev. Suar. repurg. disp.* 15. *Sect.* 1. *not.* 20, 21.

Sect.

Sect. 2. *Lustratur exercitus, expunguntur reliqui Cartesii Milites, & in ipsius* Equum Trojanum *inquiritur, in quo nullos milites includi vel occultari posse, quemque esse futilem machinam nullo artificio, sed insolenti, & fatua arrogantia in opprobrium autoris fabricatam, ostenditur.*

Art. I. *Proscribuntur milites ignavi.*

CArtesium suâ confessione (licèt subdolè) & collatis ipsius hypothesibus, causam hostibus & Philosophiam *Pyrhoniis* tradidisse ostendimus; jam ipsius *fraudem* clarere in conducendis *militibus ignavis, perfidis & militiæ ineptis* demonstrabimus: Hinc itaque *Novatori impudentissimo* hanc ignaviæ notam præ omnibus *impostoribus* (nisi fortè *Mahumedum*, & quosdam deliros *Enthusiastas* ei adjunxeris) inurendam esse, quod nullo argumento responsione digno nitatur; (& tamen in ignavo hoc seculo non paucas habet *sectatores*) & per ridiculum esse decantatum ipsius principium, *Ego cogito*, jam evincendum, & me facile ostenturum omnibus, qui in luce meridianâ cecutire non amant, confido.

Quod ad Cartesii Physicam nihil ibi occurrit, quod argumenti speciem habeat, tantum ex *fictis hypothesibus* conatur explicare quædam naturæ Phænomena. Dices ipsum passim jactare evidentiam. *Resp. evidentiam narrationis* (qualem in fabellâ de Albehhût reperiri constat) Cartesianis demonstrationibus (ut cum ipso loquar, & ipsius *fabellas* sic appellandas concedam) in esse licet non repugnarem, tamen evidentia *probationis* (de quâ inquiritur) nusquam apparet: & apud imperitos evidentiam fabellæ & narrationis jactat, ut onere probationis (cui se imparem esse novit) liberet: quod ad *Metaphysicas meditationes, in quibus principia omnia Philosophiæ a se conscriptæ contineri* jactat, has quatuor conclusiones sibi probandas proponit. 1. De omnibus esse dubitandum. 2. *Se esse*, (observandum *Cartesium esse*, primum esse principium, & quod se esse sit prius τοῦ *esse Deum*, an quia ipse novatorum *Deus* haberi vult? 3. *Esse Deum*. 4. *Animam a corpore distingui*, O magnum Phylosophum! Bellum disputatorem! O inauditam Metaphysicam, ridiculam methodum, et insulsam tractationem rerum disparatarum & à metaphysicæ subselliis remotarum (si *Deum* fortè excipies) sed jam despiciendum quam ridiculis argumentis *theses* hasce tam malè cohærentes, & in communi *objectio*

Epist. ad Dinet. pag. 210.

non

n & convenientes, (quis *Oedipus* dabit objectum me taphyſicæ Carteſianæ?) probet: & quod *Sceptici*is cauſam prodat, & *Atheis* & *Saducæis* materiam inſultandi præbeat, paucis oſtendemus.

Quod ad primam theſin, nemo ſerio philoſophiæ ſtudio incumbens, non conatur *præjudicia* exuere, ſed Carteſiana affectata *oblivio*, ignorantia, & ſequeſtratio veritatis & cognitionis eſt. 1. Impia. 2. Perniciosa & noxia, & 3. Fatua. 1. Eſt *impia*; dic ſodes, an *Chriſtianum* deceat abjicere vel inſuſcare cognitionem *Dei* vel ad momentum? Eſt *Satanæ opus* iſtiuſmodi ignorantiam, dubitationes, & impias ac blaſphemas imaginationes exuſcitare, fovere, promovere, ſed quis, ſi non *Atheus* ſciens quid dicat, iſtiuſmodi *opus* nobis commendaret? & Deus juſto judicio *Scepticiſmi* fluctibus obruendum, & in *Atheiſmi* abyſſum detrudendum traderet inſolentes *homunlos*, qui ita facerent. 2. Eſt *pernicioſa*, & viam ſcientias acquirendi præcludit, quæ non niſi per diſcurſum, ſenſus, vel inſuſionem comparari poſſunt, & 1. Per *diſcurſum* ſecundum hanc methodum nihil ſciri poterit cum præexiſtentem cognitionem ex quâ iſtiuſmodi cognitio fiat manifeſtè excludat, conſule *Ariſt. poſt.* 1. *cap* 1. 2. Neque per *ſenſus* acquiri poterit ſcientia, cum his certatim fidem detrahant novatores iſti; ergo, 3. Vel *nullo modo*, vel per

Enthu-

Enthusiasmum Diabolicum haberi poterit, non est quod à *Deo* cognitionem hominibus sic delirantibus *infundendam* putemus. 3. *Fatua* est hæc methodus *Cartesium* suo præceptore *Democrito*, qui, ut liberius Philosophari posset, *oculos* sibi eruit, solidiorem fore oportet: nam *hic* se *uno* sensu privavit, ut aliis & meditationi intellectuali melius indulgeret; at ille *omnibus* sensibus, ut malefidis rerum nunciis nuncium remitteret; *hic* solo visu & Lumine exteriori se orbavit; at *ille* omne lumen, cum externum, tum internum (etiam principiorum lumine naturæ notorum) extinguendum clamitat, ut viz. *(risum teneatis)* Lumen novum & perfectius accendatur; quis non videt sic rectâ ad *scepticismum* duci, vult enim *nos* titubare, ut nunquam pedem figamus in campo *Philosophico* vel *theologico*: & hunc esse fructum *Cartesianarum dubitationum* (quicquid pretendatur) Scholæ nostræ *proh dolor!* Hodie nimis testantur.

Dices Licetne ad tempus assensum suspendere, ut postea firmius assentiamur? *Resp.* aliud esse *dubitare*, aliud *assensum suspendere*; in suspensione actus, ut & in actu abstrahente, nullum est mendacium vel dubitatio; sed *Cartesius* nos, 1. Dubitare, & 2. non tantum dubitare sed etiam pro falsis habere certissima & notissima principia, & *supponere nullum esse Deum, nullum esse cœlum, nulla corpora*, &c. &

rejicere

rejicere, principia lumine naturæ nota, & fingere ea esse falsa, & quod horresco referens) *supponere ac fingere Deum esse deceptorem malignum*, &c. Prin. Phil. part. 1. sect. 2. 3. 7. medit. met. pag. 12. 13. 18. Licet itaque libero examini subjicere fundamenta, quibus nititur assensus firmissimus, sed jam non suspenditur assensus, nec dubitatur, donec & nisi fundamentum reperietur infirmum & insufficiens; extinguere enim lumen à *Deo* accensum ex libro *naturæ* vel *Scripturæ*, est animi ergà fontem & largitorem luminis ingrati: & ex istiusmodi malo quid boni expectandum?

Quod ad secundam thesin cum decantato principio (statim examini subjiciendo) quo eam probare studet. Art. sequenti constabit; quàm frivolo argumento stabiliatur thesis, & quàm ridiculum sit principium cui innititur argumentum.

Tertiam itaque Thesin tribus demonstrationibus (ut vocat) confirmare laborat, quarum primum & præcipuum esse tritum & putidum *Sophisma* evicimus. Secunda petitur ab *idea Dei* in intellectu nostro existentis, & interdum videtur argumentari (nam hic & alibi sophistam agens *Proteï* instar vultum mutat, ut effugiat) ab *esse ideali* seu *cognito*, ad *esse Physicum* reale; & à parte rei; seu ab *esse objectivo* ad *esse actuale* & existentiæ, & si sic argumentari liceret non

solùm

solùm mere possibilia, sed & impossibilia *Chimæras, Hircocervos &c.* existere demonstratu facillimum esset: horum enim *ideas* in mente nostrâ existere experimur. 2. Videtur argumentari non ab *idea*, sed à realitate objectivâ idearum & in *Meth. Geom. post resp. ad sec. object. pag.* 187. hanc demonstrationem format, *Realitas objectiva cujuslibet ex nostris ideis requirit causam, in qua illa realitas contineatur*, (& hoc inter ipsius *axiomata, pag.* 184. quintum locum obtinet, *sed habemus ideam Dei*; Ergo *ejus realitas in aliquo* (& non in alio nisi in ipso Deo) *continetur.* Istiusmodi puerilis nugas refellere piget; nam si inquirenda sit realitas *objectiva* cujuslibet *ideæ*; Ergo & realitas objectiva, idearum, chimæræ, hircocervi, &c. & causa realitatis objectivæ non entium & impossibilium: & novit Cartesius Atheos blasphemè asserere, *Deum* esse impossibilem; probare itaque debuit Cartesius esse realitatem in *objecto*, priusquam inquirat in causam realitatis objectivæ; sed hîc ut prius miserè confundit *esse objectivum* cum *esse reali*: constat enim non entia & impossibilia cognosci & esse objecta idearum, nemo tamen dixerit *esse objectivum* non entium & impossibilium esse *reale*. 3. Interdum videtur argumentari ab idea formali quam solam esse propriè ideam constat, objectum enim ideæ non magis meretur dici idea, quam objectum cognitionis cognitio (sed sub am-

ambiguitate vocum latitare cupit Sophista.) Hinc ideam vocat *imaginem*, *med. 3. pag. 37.* & *conceptum*, *post sec. resp. pag. 186. axio. 10.* & *formam cogitationis*, *ibid. pag 178.* Sed jam perpendendum quam ridiculum sit argumentum ab existentia ideæ, ad existentiam rei. *Dices* Cartesium non argumentari ab idea ad rem, sed à perfectione ideæ Dei ad perfectionem causæ istius ideæ. *Repl.* Cartesium pueriliter falli & fallere velle, quando credit ideas rerum perfectiorum alias & perfectiores requirere causas, cum constet intellectum esse causam omnis sui actûs & conceptûs, seu ideæ in ipso existentis; non enim loquimur (nec loquitur Cartes.) de actu supernaturali speciale Dei adjutorium postulante, qui tamen ab intellectu (licet elevato & adiuto) ut à causa & efficiente oritur. *Ad tertium Argumentum*, quia non est Cartesii sed commune omnium, et quia hominum vanissimus audiens ab autore *prim. object.* illud esse *Aristotelis* & *Thomæ* non solum illud repudiat ut non suum, sed etiam (licet frustra) refellerere conatur; hinc nos tantum considerabimus quid de suo assuat, & loco communis argumenti substituat, & sic arguit à defectu virtutis *conservativæ*, O subtilem disputatorem! Sed ut jam taceam *Remonstrantes* (*Apolog. cap. 6.*) negare influxum con-

Loc. cit. & p. 188. meth. Geom. prop. 3. demonst.

conſervativum adeoque licèt ſit per ſe, tamen nobis non ita notum eſt, requiri cauſam conſervantem ac efficientem, ut (inquam) taceam puerili medio nititur argumentum Carteſii, *Si* (inquit) *vim haberem meipſum conſervandi multo magis haberem vim mihi dandi perfectiones quæ mihi deſunt per axiom.* 8 & 9. *cum illæ ſint tantum attributa ſubſtantiæ, ego ſubſtantia.* Puerile (inquam) eſt hoc argumentum, (ut reliqua) quibus quæſo non claret cauſam creatam eſſe limitatæ virtutis, & nec ſibi nec aliis omnes perfectiones conferre poſſe; licet ſupponeremus cum Arminianis nos poſſe nos ipſos conſervare; notum etiam eſt incapacitatem ſubjecti & incompoſſibilitatem rerum, excludere infinitas perfectiones; ita ut implicet & contradictionem includat divinas perfectiones convenire creaturæ, imo vel humanas convenire lapidi, &c. Quæ autem contradictionem involvunt, non dicuntur impoſſibilia ob defectum cauſæ, ſed ab defectum termini ob quem terminari poſſit cauſalitas.

Non potui hic reticere argumenta quibus ſolidè & invictè Demonſtretur Deitas, ſi Carteſii Atheiſmum refellere ſtatuerem; ſed jam ſufficiat ipſius fucum, & fallacem argumentandi methodum detexiſſe; ex uno *Mercenno* triginta ſex argumentorum claſſes colligit, D. *Voetius ſel. diſp. theol. part* 1. *diſp.* 12. *de Atheiſ. part* 4. *pag.* 212. Quibus, ut nervosè & irrefraga-

gabiliter, ita & perspicuè & evidentissimè demonstratur hæc fundamentalis et prima veritas; quid opus igitur Cartesianis (si Cartesii dici possent) putidis sophismatibus moneo tamen cum eodem autore, *pag.* 213. *seq.* demonstrationem ab effectis ad causam, ab operibus ad opificem et gubernatorem, esse primam et palmariam. " Tutissimam autem, expeditissimam et evidentissimam esse hanc methodum persuadent (inquit p. 214.) Christianis " doctrina et exemplum spiritus sancti, *Psal.* " 19. *Isa.* 40. *Act.* 17. *&c.* quem inscitiæ, " pseudogrammatis velle arguere atheismus est, " latitans sub pallio Christiani. Quod si quis " monitus pergat ineptire, et seipsum ac ve" ritatem involvere meris petitionibus princi" pii, aut obscuriis aut incertis consequentiis, " *quales Cogito ergo sum, & cujus idea est in* " *me, illud ipsum &c.* Inducto prius Scepti" cismo, omnique notitia naturali insita et ac" quisita erasa, aut per dubitationem seque" strata, necnon negatis et ereptis omnibus " principiis et demonstrationibus antehac toti " Christianismo usitatis, et quidem conveni" enter scripturis: utique superbis illis causæ " proditoribus aut corruptoribus suggeren" dum est illud *Tertulliani*; Scilicet *Valentini*" *anos & Marcionitas expellabat liberanda veri*" *tas.* Iisdem etiam eorumque sanctionibus " dicere possent omnes omnium scientiarum,

præ-

" præsertim theologiæ studiosi & magistri. *Redde Legiones.* " Facilis enim descensus A-" verni, sed revocare gradum, &c. Ubi no-" titia omnis, etiam de Deo et cultu Dei, de " honesto et turpi, de nemine lædendo, suum " cuique tribuendo, semel abjecta fuerit, et " principia luminis naturalis, ac regulæ con-" sequentarium cum rotâ logicâ et metaphy-" sicâ profligatâ, unde quis sibi aut aliis ad " placitum theologiam naturalem aut super-" naturalem restituet, unde arma suppetent ? " quibus utramque contra infideles, fanaticos, " Scepticos, hæreticos, libertinos defendat ? " Hæc cum non sint Fori Geometrici, aut " optici, aut mechanici, theologis, & veræ " religionis, ac pietatis consortibus serio cogi-" tanda sunt. Deus non irridetur. Væ illi homini per quem unus ex minimis scandaliza-tur. " Quid si rudiora, aut volatica, aut " distorta ingenia perplexis, ambiguis, incertis, " obscuris : (à paucis enim sua capi fatentur " novi Herostrati) illis inaniis et phantasma-" tis specie novè inventæ aut illustratæ philo-" phiæ irretita, aut ad desperationem obtinen-" dæ scientiæ adacta scepticismi et libertinismi " periculis objiciantur ; cui hoc imputabitur ? " et quid dicemus de ingratis illis qui in ipso " veritatis meridie petulantur cæcutire volunt, " semper quærentes nunquam ad cognitionem " veritatis pervenientes.

His

His rite perpensis, causam Atheis Cartesium prodidisse constat: jam despiciendum quo artificio *Saducæis animæ Spiritualitatem & immortalitatem* ridendam exhibeat,

& observandum authorem *Synops.* Med. 2. profiteri quo consilio judicet lector, se noluisse in meditationibus probare animæ *immortalitatem*, sed tantum illius *distinctionem* à corpore, quia (inquit) *nihil conor scribere quod non accurate demonstrarem* ubi innuere videtur animæ immortalitatem non posse demonstrari; *Sed heus Cartesi!* quorsum distinctionem animæ à corpore demonstrandam suscipis, nisi illius *separationem* à corpore, & subsistentiam extra corpus adeoq; & *immortalitatem* probaveris. 2. an non distinctionem animæ à corpore per illius separationem à corpore & cogitationem probare conaris, quibus nisi illius spiritualem naturam adeoq; & immortalitatem eviceris, nihil præstas? quivis enim plebeius evidentiori demonstratione ex morte, & distinctionem, & separationem animæ à corpore probabit, quis enim nescit corpus mortuum distingui à vivo & per mortem animam (sive superstit ut anima hominis sive pereat ut anima belluina) à corpore separari? 2. quamvis videri velit (& hoc ipsius discipulis persuasissimum credatur) consequenter probare animæ immortalitatem & spiritualem naturam & hanc unam formam agnoscere; revera

tamen utrumq; convellere ſubdole (an dedita opera non dico) laborat eadem methodo ijſdemq; artibus quibus ſcepticiſmum incruſtare conatus fuerit 1. enim ſæpius inculcat ſuas rationes eſſe optimas, ſi non unicas quibus diſtinctio animæ à corpore probari poterit. 2. Tales rationes adfert quæ non aliam nec majorem diſtinctionem animæ humanæ quam animæ belluinæ à corpore evincunt: nam 1. Ut anima hominis ita & anima equi poterit à corpore ſeparari, & per mortem ſeparatur. *Dices*, animam bruti non ſupereſſe poſt mortem. *Reſp.* 1. Nec Carteſium dicere vel conari oſtendere animam hominis poſt ſeparationem exiſtere. 2. Hoc nihil ad ſeparationem vel diſtinctionem, ſeparatio itaq; eſt evidentiſſimum indicium diſtinctionis: quid enim notius eſſe poterit quam idem non poſſe ſeparari à ſeipſo, & quid clarius eſt quam ea ſeparari quorum uno exiſtente non exiſtit aliud, & idem non poſſe exiſtere & non exiſtere: *& hinc* clariſſime demonſtratur diſtinctio accidentium à ſubſtantia contra omnes novatores argumento quod hîc ſæpius inculcat ipſorum Pythagoras (*quæ ſeparantur neceſſario diſtinguuntur*) ſed (inquam) accidentia ſeparantur à ſubſtantia & mutantur non mutata ſubſtantia, ergo 2. *Quod ad cogitationem* vel apprehenſionem bruti, ridiculus videri poterit qui rem adeo certam & evidentem probare velit: ex appetitu enim motu progreſſivo, viſu, auditu &

om-

omnibus ſenſibus qui non ſolum bruto conveniunt ſed in quibuſdam brutis perfectiores & acutiores reperiuntur quam in hominibus juxta tritum diſtichon.

Nos aper auditu, linx viſu, ſimia guſtu,
Vultur odoratu, præcellit aranea tactu.

Quin imo ex electione, diſciplina fuga & proſequutione (ut nihil jam dicam de ira odio, amore, &c.) *umbram rationis* brutis competere acuti ſatis Philoſophi colligunt & ipſe *Carteſius med. 6. pag.* 84. docet *certum eſſe ſenſum ſitis famis doloris.* &c. *nihil aliud eſſe quam confuſas quaſdam* cogitandi *modos ab unione & quaſi permixtione mentis cum corpore exortos* Ergo cum manifeſtum ſit ſenſum famis ſitis doloris, &c. brutis competere; ergo juxta Carteſij hypotheſes non ſolum cogitatio, ſed & mens ſeu intellectus adeoq; & anima ſpiritualis eſt in brutis & permiſcetur & unitur cum corpore bruti. Sed quid magis paradoxum aut à vero abhorrens imaginari poterit quam hæc munia poſſe obiri & operationes elici ſine cognitione vel objecti apprehenſione & qui ita deſipuerit ut hos credat nil miri ſi negaverit ſolem lucere, nivem eſſe albam, ignem eſſe calidum & *ſolem* moveri ut enim hoc expreſſe ita & *illa* per ambages negant Carteſiani, quatenus dictitant nullam dari formam accidentalem aut qualitatem à

ſubſtantia diſtinctam ſi enim nulla detur qualitas nulla datur lux, albedo, calor, *&c.* & nulli ſubjecto hæc vere attribui poterint.

Sic paucis exhibuimus ſummam & medullam Carteſianarum demonſtrationum, eaſq; eſſe puerileſ paralogiſmos Philoſopho indignos evicimus; in eis tamen ita gloriatur hic Agyrta ac ſi quid novum & reconditum, ſubtile & nervoſum in lucem protuliſſet & ſuarum Metaphyſicatum meditationum (ſeu anilium ineptiarum) *Synopſin* hoc epiphonemate claudit *hæ* (inquit) *rationes ſunt omnium certiſſimæ & evidentiſſimæ quæ ab humano ingenio ſciri poſſunt* an hominis ignorantiam an impudentiam, vanitatem & ſuperbiloquentiam magis mirabimur?

Syn. Med. pag. 5. 6.

Art. 2. *Exſibilatur futilis Carteſij machina; exploditur famoſum* εὕρημα ego cogito) *quod non eſſe Principium nec primum, nec Metaphyſicum, nec primo cognitum, & conſequens hinc illatum non ex hoc ſed ex alio antecedente, & non neceſſario nec rite ſequi, & ex eo nullum niſi ridiculum conſequens inferri poſſe oſtenditur.*

JAm *ventum* ad Carteſij grande inventum, in quo proram & puppim conſtituit *ego cogito* in quo diſcutiendo oſtendemus illud 1. non eſſe primum principium. 2. non eſſe principium Metaphyſicum. 3. non eſſe primo cognitum. 4. non eſſe principium, ſed principiatum. 5. Non eſſe univerſalem theſin, ſed particularem hypotheſin nulli concluſioni ſcientificæ probandæ inſervientem, imo & ex hoc antecedente non neceſſario nec recte inferri Carteſianum conſequens, nec ullum niſi ridiculum & à Carteſiano multum diverſum & diſparatum ipſoſq; novatores in hoc antecedente non acquieſcere ſed ad aliud confugere.

Quod ad primum; cum eſſe ſit prius quam operari, neceſſe eſt τὸ *ego ſum* eſſe prius τῷ *ego cogito* 2. Illud non poteſt eſſe primum

principium, quod non est commune omnibus scientiis, & quod omnibus conclusionibus vel ostensive vel deducendo ad impossibile probandis non inservit: sed hoc nulli conclusioni scientificæ probandæ inservire constat. 3. Tantum abest ut sit primum, ut non sit omnino principium, & tantum abest a necessitate, certitudine & evidentia requisita in principiis & maxime in primis; ut vix ulla excogitari possit propositio magis contingens, obscura & incvidens ut statim patebit.

Et hinc ad secundum demonstrandum non paucæ (si res postularet) rationes proferri possent 1. quia *Metaphysica* tantùm communia principia considerat, & ad istiusmodi particulares hypotheses non descendit. 2. Illud non est principium metaphysicum (quamvis in Cartesiana metaphysica utramq; paginam faciat) *cui potest subesse falsum*, sed huic Cartesiano principio potest falsum subesse: possum enim putare me cogitare quamvis non cogitem, ἐνεργούμενοι enim credunt se agere & cogitare, quando non ipsi, sed *Dæmon* in iis agit & operatur. *Dices*, si cogitem, non possum non cogitare *Repl.* recte & sic si ambulem non possum non ambulare, si scribam necesse est me scribere *&c.* nam *quicquid est quando est necessario est* & sic quælibet propositio de operatione maxime contingenti poterit statui principium certum & necessarium, non minus quam Cartesianum *ego cogitō*, ut statim

tim fusius ostendetur : sed Cartesiani forte non in suo (*ego cogito*), sed in eo quòd non possum falli *si putem* me cogitare sui principii certitudinem, collocant *Repl.* 1. Potes falli, quia (ut nihil jam dicam de infusione actuum vitalium) forte non *tu*, sed *Dæmon* in te cogitat. 2. Non minùs falli poteris, dum putas te cogitare, ac dum putas te edere. 3. τὸ cogitare sic non est *actus*, sed *objectum* actûs seu actus *reflexe* cognitus, & ut in somnis putamus nos multa fecisse, quæ forte non fecimus, ita & multa cogitâsse, de quibus non cogitavimus. *Dices* si tamen putem cogito. *Repl.* Sed tuum *ego cogito*, non est illud τὸ puto sed ejus objectum. 2. Idem dici poterit de hoc tuo putare ac de tuo cogitare, quòd, *viz.* Ista opinio fortè non sit actus Cartesii vel Cartesiani sed Dæmonis in eo cogitantis ; potes enim putare te putasse, quando non putaveras ; Sed quicquid sit de hoc de quo forte magnopere non contenderem, Cartesiani principii *vis* non consistit in actu quo reflexe cognosco, sed in actu reflexe cognito, ut, cum dicitur *puto me cogitare* non in τῷ puto sed in τῷ cogitare, quod potest non esse Cartesii quando putatur esse Cartesii, ut hactenus evicimus ; ex suppositione enim quod putes te cogitare, recte sequitur te putare, sicut supposito quòd ambules necesse est te ambulare ; sed si illud τὸ *puto* reflexè cognoscatur, & sit objectum actus, quo putem me putare, non magis ex *eo*, quam ex

τῦ *cogitare* (quod ſupponebatur huic τῷ puto objici) poteris colligere certo te putaſſe. Nunc τὸ *ego puto*, & *cogito* non poterit ſtatui principium vel antecedens in Carteſiano Enthememate niſi reflexè cognoſcitur, & ſit objectum cognitionis, ut monui, & jam jam fuſius oſtendam, cumq; ſic reflexè cognitum non ſit certum & neceſſarium, perridicule ſtatuitur principium idq; metaphyſicum. *Dices*, videris negare nos poſſe eſſe certos quod cogitemus. *Reſ.* Nihil dixi vel ſcripſi, quod anſam iſtiuſmodi cogitationi daret; ſed è contrario hoc unum maximè contendo, cum in hac, tum in 2. parte anat. ut Carteſianorum ſcepticiſmum convellerem, & ut oſtenderem ſtultè & fruſtra diſputare de eo, quod experientiâ & ſenſu ſive externo, ſive interno manifeſtum eſt novaturientes itaq; non λόγῳ, ἀλλὰ διαθήσεως καὶ κολάσεως δεῖσθαι, potiùs ſenſu & verberibus, quam ratione indigere conſtat ex philoſopho, *Top.* 1. *cap.* 11. è gymnaſiis reijcit Carteſiana problemata, ut indigna homine ſobrio; & iſtiuſmodi ζητήματα τῶν Epiſcopos ridiculos exhibet, ἃ δεῖ πᾶν πρόβλημα σκοπεῖν & c. ſi tamen quis ſuæ famæ aliter velificare neſcit, niſi iſtiuſmodi ſpeculationibus indulgendo, & dubitando an ſit, an cogitet, an ambulet; oſtendi primùm non minùs neceſſariò, & fortè facilius & evidentiùs probari poſſe per tertium, quàm per ſecundum; & τὸ cogito ridiculè inter principia metaphyſica (in quibus neceſſaria

necessaria & essentialis terminorum connexio reperitur) reponi, at sive dicatur cogito, sive ego cogito, tyronibus notum est esse propositionem virtualem, & perinde est (ut sæpius fatetur Cartesius) ac si dixeris, ego sum res cogitans, ergo necesse est vel supponas vel probes te esse priusquam assentiaris huic propositioni; te esse includitur in τῷ te esse rem cogitantem; ergo ut Cartesii demonstratio obtineat, necesse est supponi vel aliunde probari id quod probandum suscepit. Quinimo ostendi hanc propositionem non posse rigorem examinis sustinere & neminem posse dicere se cogitare, nisi dixeris actum reflexum & directum posse esse simul, licet quivis facile advertere possit se cogitâsse.

3. Cartesianum *ego cogito* non esse *primo cognitum* facile probatur. 1. Ut taceam quæstionem de primo cognito non moveri de complexo, sed incomplexo & pro varietate occasionum extrinsece occurrentium & sensibus objectorum posse modò hoc modò illud prius cognosci (sive loquamur de complexo sive incomplexo) quia oportet sciri, *quid ego sim* (ut nihil dicam de cogitatione & existentia) priusquam inquiratur *an sim*, ne forte probavero, non me sed aliud esse, et dum inquiritur qui sim, oportet non solum varios terminos simplices, sed etiam complexos fortè præsciri, priusquam quid sim sciatur: hinc si cogitatio, non primo cognoscatur, ego cogito non potest esse princi-

pium

pium primò cognitum, nam ex terminis notum est istiusmodi principium debere constare ex terminis notissimis; sed cogitatio non est primò cognitum sed inter postremò cognita, quia raròet non nisi post longam fortè experientiam solent homines reflectere supra suas cogitationes, ut inde aliquam conclusionem inferant, vel quales sint perpendant, vel dicant se cogitare 2. oportet actum directum esse priorem reflexo cum reflexus ex suo conceptu essentiali pro objecto in quod tendat, priorem actum postulet; *ergo* prius est *hoc cogito* quam *ego cogito* nam τὸ *hoc cogito* tantùm dicit cogitationem directe terminari ad hoc et illud objectum, sed τὸ *ego cogito* dicit intellectum reflexè tendere in suam cognitionem, tanquam objectum: non enim possum dicere me cogitare, nisi reflexè sciam me cogitâsse. *Dices* idem esse τὸ *ego cogito* et τὸ *hoc cogito* quia *cogitando hoc* cogito *Resp.* certum esse me cogitare, dum hoc cogito, sed hoc nihil ad rem; quæstio enim est, an quando directe cogito, dicam, vel sciam me cogitare, vel proferam hanc propositionem *ego cogito* unde sic contra argumentari licet cogitando cogito hoc, sed cogitando hoc non cogito me cogitare, donec per actum reflexum sciam me cogitasse hoc, ergo prius *cogito hoc* quam *cogito me cogitasse hoc* ergo *ego cogito* non est prius & notius sed posterius & supponit

τὸ

τὸ *hoc cogito* seu hoc prius cognoſci quàm ipſum τὸ cognoſci, cognoſci poſſit.

In ſxet. Reſp. pag. 467. Videtur author hanc difficultatem vidiſſe, quam more ſuo non tollere ſed declinare laborat, ubi etiam difficultatem in primo argumento occurrentem minuere conatur. 1. Itaq; dictitat *nos cognitione innata ſcire quid ſit cogitatio, quid exiſtentia, ut quamvis fin gamus nos iſt iuſmodi cognitionem non habere; revera tamen habemus Repl.* 1. Mirum igitur eſt *Carteſium* ejuſq; diſcipulos poſt tot labores, ſtudia, progreſſus, intenta, & tantam novarum demonſtrationum lucem, non potuiſſe in hunc uſq; Diem *ideam* cogitationis ſic *innatæ* & omnibus notæ exhibere: ſi enim quid ſit cogitatio ſciſſent, bruta cogitare nunquam negaſſent. 2. Quod ad conceptum exiſtentiæ ejuſq; ab eſſentia diſtinctionem, de iis tot lites non extitiſſent, ſi hominibus *innatum* eſſet, ſcire quid ſit exiſtentia. 3. Supponamus licet aliquam confuſam cognitionem cogitationis & exiſtentiæ eſſe facilem, (forte eis qui ſuos hoſce confuſos conceptus vocibus cogitationis & exiſtentiæ exprimere neſciunt) quis tamen dixerit hæc eſſe primo cognita, vel eſſe notiſſima? Et niſi hoc dicatur, actum erit de hoc Carteſiano principio. 2. Ibid. ſubjicit *nos cognitione interna quæ reflexam ſemper antecedit ſcire nos cogitare Repl.* 1. *ſcire velim*, quæ & qualis ſit cognitio *externa*, à qua hanc *internam* diſtinguere & cui eam

eam opponere videtur, ſed hoc miſſo quis ſobrius diceret nos ſciendo ſcire quod ſciamus, ſeu nos poſſe ſcire quòd cogitemus vel cognoſcamus aliter niſi reflectendo ſupra noſtram cogitationem, & cognitionem adeo, ut τὸ cogitare ſeu cognoſcere ſit objectum iſtius ſcientiæ, nunc quid certius eſt quam actum noſtrum diſtingui ab objecto & idem non poſſe objici ſibi? & ex terminis notum eſt τὸ cogitare quod ſcitur, eſſe objectum τῦ ſcire quo ſcitur: unde ſic arguitur quicquid ſcitur eſt objectum ſcientiæ, *ergo* ſi τὸ *cogitare* ſciatur, eſt objectum ſcientiæ quo ſcitur; & ſcitur non per actum directum ſed reflexum prorſus enim implicat, aliquid ſciri niſi per ſcientiam ſeu cognitionem, cui objicitur, & quæ in ipſum ut objectum tendat; & hoc non minus verum eſt de ipſa ſcientia, ſeu cognitione, ac de aliis: licet itaq; quis facile ſcire poſſet quod ſciat vel cogitet, ſi *viz.* velit advertere & ſupra ſuum (ſupponimus jam eſſe ſuum) actum reflectere, ut tamen quis poſſet ſcire, quod ſciat, ſine iſtiuſmodi reflectione & advertentia, prorſus implicat, & ſi in iſto caſu reflectionem in actibus intellectû; negaveris in quo quæſo admitti debet? hoc itaq; adeo manifeſtum eſt, ut illud agnoſcere cogatur, quando continuo addit (idq; explicationis vel confirmationis loco) *cum itaq;* (inquit) *quis advertit ſe cogitare atq; inde ſequi ſe exiſtere, non poteſt non ſatis noſſe quid ſit cogitatio* nunc amabo mi Carteſi,

Quid

Quid sit advertere nos cogitare nisi reflectendo supra nostram cogitationem scire nos cogitasse. Sed quorsum de re adeò manifesta cum Tenebrione pluribus contenderem, tantum addo, non minori verisimilitudine dici nos ambulando experiri nos ambulare, nec necesse esse ut hoc aliquo novo intellectûs actu cognoscatur, & quid potest esse nobis evidentius quàm id quod experimur? hinc opportune monet philosophus, verberibus potiùs quàm verbis cum eo agendum qui contra sensum & experientiam disputat, & hinc τὸ ambulare nobis notius & evidentius est τῷ cogitare, & illud est medium magis idoneum quàm hoc quo probetur esse.

Sed jam ad alia pergamus, & 3. arguitur ex eo quòd opporteat scire quòd Cartesius cogitet & non aliquis genius in eo (quis enim dixerit ex cogitatione mali genij posse probari Cartesium existere) & cûm nullum indicium monstret quo cognosci posset, quis sit qui cogitat, subtestum est hoc ejus principium præsupponens aliquid præcognoscendum, quod quomodo cognosci possit, non ostendit.

4. Illud (ut monui) principium est notissimum cujus *termini* sunt notissimi; sed nec subjectum nec attributum Cartesiani principii est notissimum, constat enim accidentia sensibilia esse notissima, cum nostra cognitio oriatur a sensibus & phantasmatis materialibus, nunc *Cartesius* non est accidens, & ipsius cogitatio non est sen-

ſenſibilis, ſed abdita latet in illius animo, & hic obiter obſervanda eſt craſſa Carteſii oſcitantia, cum paſſim crepet mentem & animam eſſe notiſſimam, cum occulatiſſimi Philoſophi & Theologi paſſim conquerantur animâ & mente, quæ omnia cognoſcit, nihil eſſe occultius & ignotius: & hoc maximè Carteſium decuit profiteri, qui ſæpius cogitationem cum anima confundit, & talem ideam cogitationis exhibet (ſaltem ſe exhibuiſſe jactat) quæ ſit chimæra, à cujus, *viz.* Eſſentiali & generico conceptu excluduntur tot notiſſimæ cogitationes animalium, *viz.* Omnium brutorum. *Dices* tamen notiſſimum eſſe animam eſſe. *Repl.* Non poteſt dici notiſſimum eſſe illud exiſtere cujus quidditas ita ignoratur, quia ſi ita neſciamus, quid res ſit, etiamſi in illud incidamus, neſcimus an ſit illud quod quæritur, an forte aliud: hinc, licet Carteſiani de familiariſſimis animis brutorū quotidie forte cogitent, dari tamen negant. 2. Omnis noſtra cognitio incipit à ſenſibus ergo ἀριλόσοφον eſt dicere res ſpirituales eſſe nobis notiſſimas. 3. Probatu facile eſſet ex philoſophia Carteſiana animam non eſſe, cum (ut articulo præcedenti evicimus) non aliâ ratione conſtare animam homini competere contendat, niſi qua brutis animam competere oſtendi poſſet; ſed negat animam inceſſe brutis; ergo juxta ipſius hypotheſes negari poterit homini animam competere. 4. Sed aliud vult Carteſius, contendit

enim

enim notiſſimum eſſe non ſolum quod ſit, ſed quid ſit anima illúdq; probare conatur argumento ſe digno *animæ* (inquit) *natura omnium eſt notiſſima* ſed quare hominum doctiſſime, quia (inquit) omnia cognoſcit *quotcunq; attributa cognoſcuntur in qualibet alia re tot numerari poſſunt in mente ex eo quod illa cognoſcat atq; ideo ejus natura omnium eſt notiſſima.* O bellum philoſophum! Ergo attributa chimæræ (cum non minus à mente cognoſcantur quam attributa Carteſii) menti conveniunt ergo mens eſt ens fictum impoſſibile, &c. *Reſp. 5. pag. 424.*

Sed. 4. *Ne eſſe principium* ſequentibus argumentis demonſtro 1. Principia debent eſſe ita clara & evidentia, ut cognitis terminis iis ſtatim aſſentiamur; ſed cognito quid ſit Carteſius, quid cogitatio, non cognoſcimus Carteſium cogitare, nam forte nec eſt nec cogitat, hinc. 2. Principia ſunt æternæ veritatis, at non ſemper fuit, nec ſemper erit verum Carteſium cogitare, maximè cum de hac ſingulari cogitatione quæ inſtanter perit, procedat ipſius principium. 3. In omni principio datur neceſſaria terminorum connexio, conſtat enim Carteſium exiſtere potuiſſe & extitiſſe ſine hac ſingulari cogitatione & hæc cogitatio intrinſece in ſe & quantum eſt ex parte ſui ſpectata nullam habet dependentiam à Carteſio; nam potuit à quolibet alio elici, licet poſito quod à Carteſio eliciatur, dicat reſpectum

ſpectum ad ipſum; & iſtiuſmodi hypothetica & extrinſeca neceſſitas in re maximè contingenti locum habet. 4. Non conſtat terminis univerſalibus at in creatis nulla datur ſcientia, nullum principium, & nulla demonſtratio de ſingularibus, vel in terminis non communibus. 5. Effectus non eſt principium ſuæ cauſæ, nec per eum a priori probari poterit; ſed *cogitare* eſt effectus τῦ eſſe; Ergo τὸ eſſe non poteſt per illud probari a priori, & hîc, ut in aliis apicibus, conſtat novatores craſſâ terminorum philoſophicorum ignoratione laborare, ut neſciant diſtinguere inter principium & principiatum quod neſciunt cauſam eſſe principium & effectum principiatum; & principium complexum (de quo jam inquiritur) debere *conſtare ex primis & cauſis concluſionis* nam *ego cogito* non conſtat ex cauſa ſed ex effectu non ex priori ſed ex poſteriori ſi conferatur cum τῷ eſſe: nam cogitare ſupponit & ſequitur eſſe.

Ad quintum & ultimum jam progrediamur ubi. 1. Oſtendemus non magis ex cogitatione quam qualibet aliâ hominis operatione (ſed multo rectiùs ex multis aliis quam ex hac) colligi exiſtentiam ipſius. 2. Evidentiam & certitudinem Carteſianæ conſequentiæ examinabimus, & (quod forte mirabitur Carteſij cultor) an quis vere dicere poſſit *ego cogito* inquiremus; ubi autorem iſtius principii craſſæ ignorantiæ doctrinæ animaſticæ arguemus &, 3. Quod-

nam

nam consequens ex eo inferri possit, consideramus.

2. *Itaq; dicimus* per τὸ *ego cogito* non aliter probari me existere, quàm quælibet causa probatur esse per suum effectum vel operationem: non enim minus certa & evidens est hæc consequentia *ego ambulo* vel *edo* vel *bibo*, &c. Ergo *sum*, quam illa *ego cogito* ergo *sum*. *Dicet* amentes & somniantes possunt opinari quod edant, ambulent, *&c.* quando non edunt, ambulant, *&c.* experientiâ enim manifestum est nos in somnis opinari nos multa facere, quæ non facimus, at sive vigilemus, sive dormiamus, sive verè, sive falsò opinemur & cogitemus, tamen cogitamus. *Resp.* Ut jam taceam amentes & somniantes etiam opinari se cogitasse quando & quæ non cogitârunt, non minus quam fecisse vel dixisse, quæ non fecerunt vel dixerunt; hæc objectio non enervat nostram nec confirmat Cartesianam consequentiam nec nostræ disparem esse evincit nam. 1. Ad operari semper & necessario sequitur esse; non enim minus necessarium est si edo sum ac hoc si cogito sum. 2. Citius & facilius scimus nos edere quam cogitare, ut omnium experientia constat & ratio suadet; nam actus directus facilior & frequentior est reflexo & pauci & rarò solent homines reflectere supra suas cogitationes & inquirere an cogitent, & (quod & probe observari velim cum maximè faciat ad vanitatem novatorum manifestandum)

nisi fiat ejusmodi reflectio per cogitationem non poterit probari cogitantem esse, ut enim necesse est, sciam me edere, ut hinc inferam me esse, non minus necesse est sciam me cogitare, ut ex eo colligam me esse. *Dices* sufficere quòd cogitem, dicam ego sufficere quod edam; utrumq; itaq; est medium idoneum quo probetur me esse, sed neutrum nisi apprehendatur & cognoscatur si enim edo, sum; & si cogito, sum sed non potest probari me esse ex eo quod edam vel cogitem, nisi sciatur me edere & cogitare. Hinc 3. Mirari licet stupendam Novatorum Subtilitatem, qui hac suâ confirmatione principii & consequentiæ Enthemematicæ principium illud convellunt & nullam esse consequentiam ostendunt; nam sic satis declarant se non acquiescere in suo *vid. ego cogito* sed ab eo ut a muro inclinante fugere cum aliud comminiscantur, *viz.* Hoc *cogito me cogitare*, cogito (inquiunt) quando cogito vel opinor me cogitare; sed non magis certum & necessarium est me cogitare quando *puto me cogitare* quam certum est me ambulare. quando *puto me ambulare* si sermo sit de objecto istius cogitationis, seu de cognitione directâ nam ut possum opinari me ambulasse, quando non ambulavero, ita possum opinari me cogitasse quando non cogitavero, vel non illud quod me cogitâsse putaveram. *Dices*, sed jam cogitas. *Resp.* Ut jam nihil dicamus de deceptione circa hunc actum reflexum

de

de qua prius, cum dicis *si putem me cogitare cogito* idem est ac si dicerres *si cogitem me cogitare cogito* (nam quid est putare nisi cogitare) & hoc non aliud est quam si diceres, *si cogitem cogito* quæ propositio est summè vera, sed nugatoria & istiusmodi conditionalis veritas & necessitas locum habet in propositione maximè contingenti, & de re impossibili nam posito quòd chimæra sit, verum est chimæram esse; nam *quicquid est, quando est, necessario est* 2. Hoc est quod volumus, & prius monuimus, hoc est, cogitas te cogitâsse ficq; ab actu directo ad actum reflexum recurritur & (sicut fateri cogitur ipse Cartesius. *Resp. Sept. pag.* 467. Dabitur progressus in infinitum) nam non jam est Sermo de eo quod *est* sed de eo quòd *scimus esse* nam nisi sciam me cogitare, non possum ex mea cogitatione colligere me esse; at constat nos non posse scire nos cogitare nisi novo actu reflectamus supra nostram cogitationem & sicut hoc actu supra illam cogitationem reflectimus, ita possumus adhuc novo actu supra hunc reflectere, ut sciamus an cogitaverimus & sic in infinitum, & hic (ut aliâs) se prodit ignorantia novatorum, qui nesciunt distinguere inter actum directum & reflexum, & istiusmodi principium jactant, quòd non sit enunciatio (loquor de vera) cum a nullo vere, & cum judicio proferri possit, fateor verum esse me cogitare, uti verum est me ambulare; Sed neutrum affirma-

re possum, nisi illud sciam & cognoscam: judicium enim supponit apprehensionem, & enunciatio terminorum conceptum. Hinc præterea, non possum dicere *me cogitare* sed *cogitasse*, quia oportet actum extitisse priusquam apprehendam, vel dicere possim eum existere, & licet simul, & quam primùm res aliqua sensibilis existit, apprehendere possum illud existere, non ita tamen est in actibus intellectûs qui cum non nisi reflexè cognoscantur, non possint cognosci, nisi postquam extiterint: actus enim reflexus præsupponit actum directum, in quem ut objectum tendat, idem enim actus nostri intellectûs non poterit sibi objici & esse sui representatio, & imago; Sed hoc sciolis imposuisse videtur, cum nulla observabilis intercapedo vel intermissio in qua advertant se non cogitare intercedat inter actum directum & reflexum, cumq; reflexus statim sequatur directum, hinc directum cum reflexo confundunt.

Dices sentiendo & intelligendo, percipio me sentire & intelligere, priusquam reflexè cogitem vel advertam, quod sit objectum sensationis & intellectionis. *Resp.* in ipso τῷ sentire & intelligere esse quandam perceptionem, sed objecti sensati & cogniti, non verò ipsius sensationis & intellectionis donec advertamus & reflectamus supra nostram sensationem & cognitionem: fateor nos posse facile & sine morâ advertere & reflectere, sed quod non semper sic

ad-

advertamus constat ; & quod non possimus percipere nostram sensationem vel intellectionem, sine istiusmodi actu reflexo evincit ratio : nam sensatio & intellectio non possunt percipi, nisi sunt objectum actûs quo percipiuntur, sed actum creaturæ sibi ipsi objici repugnat : cum itaq; actus nostri intellectûs, inter se & cum sensationibus sint connexi, sæpe non possunt facilè & sine accurata probatione & examine distingui ; non tamen debent confundi a Philosopho profitente se distinguenda enucleatè exhibiturum. Possum itaq; concipere sensationem & cognitionem in actu signato & in universali, non considerato hujus aut illius objecto ; sed quî singularem aliquam sensationem aut cogitationem, ut hic & nunc exercitam, non considerato objecto cujus sit imago & representatio, & ad quod dicit necessariam & inseparabilem habitudinem, percipere potero. Et quid sit percipere me sentire, & intelligere seu cogitare, nisi reflexè cognoscere & apprehendere sensationem & cogitationem ut hic & nunc exercitam ? & quî hoc fieri possit, sine novo & reflexo actu intellectûs non assequor.

Sed si perceptio includatur in sensatione & cogitatione, cur amabò, Cartesius relictâ sensatione, ad solam cogitationem confugit ? Cum enim nostra cogitatio dependeat & oriatur à sensibus ut citiùs & evidentiùs ita non minùs certò & necessariò per τὸ video, audio, &c. Ac

per τὸ cogito probare potuisset τὸ sum, sed scire aveo cur missis his ratiociniis se non recipiat ad suum πολυθρύλλητον, quod clarè & distinctè percipio est verum? Quod si alicubi obtineat, maximè ubi verè & evidenter percipio; nam licet ridiculum appareat argumentum hoc tibicine fultum, ad convincendum adversarium; cùm quilibet possit pretendere (& Cartesiani jactent) se clarè & distinctè percipere suas ridiculas nugas, si tamen manifestâ experientiâ, & sensu (sive externo sive interno) aliquid percepero, omnem mihi dubitationem excluderet hæc perceptio; unde cum clarè percipiam me esse, cogitare, videre, ambulare, edere &c. nullo opus est mihi argumento ad hoc probandum, nec ullum occurreret, quod ita efficaciter ac evidenter me convinceret, ac immediata quam habebam ipsius rei perceptio; & hinc suspicienda suavis administratio, admiranda sapientia & provida Dei manus; ut in universalibus ratio suppleat defectum sensûs; & in singularibus sensui & perceptioni obviis ratio deficiat, titubet, vacillet; non est itaq; cur quis mentis alienatione non laborans dubitet an sit, vivat, sentiat, intelligat, amet, habeat manus & pedes, &c. Cum evidenter percipiat se esse, vivere, &c. sed si eò insaniæ processerit, frustra ad asylum cogitationis (quam percipere non poterit donec evanuerit) se reciperet.

Et *hinc* sequitur potius τὸ *ego ambulo* quam τὸ

ego

ego cogito esse antecedens seu medium (ridiculi sunt qui alterutrum vocaret principium) quo probetur me esse cum actu directo sciam & experiar me jam ambulare, sed non nisi actu reflexo scio meam cogitationem & non me jam cogitare sed *cogitasse*.

Missa itaq; authori Geometricâ ac Algebraicâ nos Physicam enthemematis Cartesiani analysin subiciemus. 1. *Ad Antecedens* ego (inquit Cartesius) cogito dicimus te hoc dicere non posse sed pro tuo *ego cogito* ponendum esset *ego puto me cogitavisse*. 2. Licet putes te cogitare, quæritur tamen an verè vel falsò hoc putes. 1. Fortè tantùm somniâsti te hoc vel illud cogitâsse. 2. Fortè non tu sed malus genius in te. 3. In scholis disputatur an actus vitales possint infundi, & Dominicani ita loquuntur ac si crederint de facto primum actum fidei non esse nostrum sed nobis infundi à Spiritu Sancto. 4. Omnes tuæ professionis Theologi dictitant accidens posse existere sine subjecto. Dicerent ergo illi fortè esse cogitationem & non rem cogitantem, cui ut subjecto insit.

2. *Ad consequentiam ergo* (inquis) *sum* ergo (inquam) vel tu vel aliquis genius in te est. 2. Ergo est aliquid; sed an illud sit tantùm cogitatio existens sine subjecto (ut tu non semel fateri videris, & te esse cogitationem diserte affirmas) an res aliqua cogitans ex tuo antecedente collato cum ridiculis tuis hypothesibus

certò & necessariò non colligitur; sed 3. Supponamus rem cogitantem existére, an tamen res illa sit homo an brutum non ostenditur: quis enim sobrius negabit brutum esse rem cogitantem? Sed fortè non casu contigit, quod Cartesii demonstratio, qua se esse probaverit, inter ipsum & brutum non distinguat. 4. Ponamus Cartesium putare se cogitâsse, non sequitur Cartesium esse, sed fuisse, & extitisse; quia (ut probavimus) non possumus scire nos cogitare, sed cogitâsse, & non ex actu reflexo & presenti, sed ex directo & præterito, qui est objectum reflexi probat Cartesius se esse, & si ad reflexum recurratur, dabitur progressus in infinitum: nàm de hoc actu reflexo redit prior difficultas an *viz.* Sciam seu putem me putâsse & adhuc an putem me putasse putasse, & sic in infinitum, verùm licet sit actus directus, qui sit medium in Cartesiano enthememate, non tamen potest esse medium (ut etiam ostendimus) nisi reflexè cognoscatur, ut enim τὸ ambulare non potest esse medium qua probetur τὸ esse, nisi cognoscatur: non tamen est cognitio ambulationis, sed ipsa ambulatio, quæ est medium quo probetur ambulantem esse. Ita similiter licet cogitatio reflexè cognoscatur, non tamen est reflexa ipsius cognitio, sed ipsa cogitatio, quæ cognoscitur, quæ est medium in hoc ratiocinio, sed hæc cogitatio non jam existit sed extitit, ergo ex eo tantùm

25

tùm probatur Carteſium extitiſſe, ſed non probatur eum exiſtere.

3. *Ad conſequens* ponamus Carteſium eſſe, quid emolumenti reipublicæ literariæ, quod fundamentum ſcientiarum inde exculpes? quas concluſiones probabis & quid amabò præſtabis niſi forte eviceris ſcholarum opprobrium & Philoſophorum ludibrium extitiſſe? O magnum philoſophum, acutum inventorem, & ſtrenuùm veritatis aſſertorem, qui id aſtruit, quòd Pyrrhoniorum nemo negaverit! Quis enim mentis alienatione non laborans ambigit, an ſit vel cogitet, licet de veritate (non metaphyſicâ ſed Logicâ) ſuarum cogitationum maxime dubitaverit, quinimo nobiliſsic innovator fatetur *rationes quas affert non eſſe valde utiles cum tantum probent ea de quibus nemo unquam ſanæ mentis ſerio dubitavit, Synop: medit. pag.* 5. Ubi hominum modeſtiſſimus jactat, *ſe omnes rationes attuliſſe quibus rerum materialium exiſtentia poſſit concludi.* Ubi *V. D.* ſunt iſtæ rationes? lustravimus tuas & nullam invenimus, quâ ullius rei materialis exiſtentia concludi poſſet, niſi dixeris diſtinctionem animæ à corpore (quam ſtabilire conaris) ſupponere exiſtentiam corporis, ſed ut non dicam qualia ſint Carteſii argumenta, ſic non probatur ſed ſupponitur corpus ut & animam exiſtere quod ad acutum ipſius inventum & principium *ego cogito* conceptus & (ut loquitur) idea rerum quas

medit. 6. enumerat, non magis hinc pendent, quam fulgur à deambulatione Socratis; nam quamvis Cartesius nunquam extitisset vel cogitâsset, eædem fuissent ideæ, ut licet Socrates non deambulâsset non minus fulgurâsset, &c. Quin imo jeunus hic Novator licet omnia innovare studuit, nihil tamen innovare potuit, sed omnia ibidem (ut prius ostendimus) experientiæ, rationi & lumini naturali cum Peripateticis accepta refert: & hîc claret ex nobili ipsius machinâ *ego cogito* nullam conclusionem seu veritatem scitu dignam posse probari, & nihil artificiosum à peritissimo artifice, politissimo penicillo hinc exculpi posse. *Sed de Cartesianis nugis satis,*

Vix Priamus *tanti totaq;* Troja *fuit.*

FINIS.

MVSEVM BRITAN NICVM